FRAGMENTUM
LEGIS ROMANAE

IN AVERSA

TABULAE HERACLEENSIS PARTE.

NOTIS CRITICIS ET COMMENTARIO

ILLUSTRAVIT

GUST. THEOD. LUDOV. MAREZOLL

J. U. D.



GOTTINGAE

IMPENSIS ET TYPIS ROEWERI.

MDCCCXVI.

PROLEGOMENA.

Quod legis Romanae fragmentum, cum critica ratione, tum commentario illustratum in lucem proferre in animo est, etsi priorem quidem ipsius partem a MAITTAIRIO [1]), Sc. MAFFEIO et FR. CONRADIO [2]), totum autem ab AL.

[1]) Antiquae inscriptiones duae, graeca altera et altera latina cum brevi notarum et conjecturarum specimine. Lond. 1756. fol. p. 11-22.

[2]) Parerga, lib. III. p. 350.

Mazochio [3]) ingenti commentario ornatum prodiisse nemo nescit, tamen, si tam magnum et ad juris romani historiam tanti ponderis monumentum diligenter recensuerim, me operae pretium spero esse facturum. Maittairius enim et Conradius partem tantummodo, ut dixi, totius, quale nunc exstat, fragmenti, interpretatione sunt complexi; Mazochii autem opus neque in promtu cuique, neque in eo, tot scholiis excursibusque referto, quod quaeras facile inveneris, neque commentarius hic, omnem aliorum curam prorsus inutilem reddidisse videtur. Quae porro ante aliquot annos Viri Cl. Hugonis [4]) opera ejusdem legis, cum conversione accurata germa-

---

[3]) Alex. Symmachii Mazochii (Neap. Eccl. Can. Regii S. S. interpr.) commentariorum in Regii Herculanensis musei aeneas tabulas Heracleenses P. I. Neap. 1754. P. II. Neap. 1755. fol.

[4]) Civ. Mag. tom. III. fasc. XIX.

nica, prodiit recensio, etsi posteriorem maxime fragmenti partem ab oblivione, qua ne obrueretur paullatim, metuendum erat, vindicaverit, tamen, quod vehementer dolendum est, commentario non est instructa. Sicuti igitur a Cl. Dirkseno nuper legem de Gallia Cisalpina criticis aliisque notis accepimus explicatam; eodem fere modo huic legi, quae tabulae Heracleensis nomine solet comprehendi, operam qualemcunque meam navavi. In quo id mihi felicius contigisse video, quod in priore legis parte Conradii, in altera Mazochii doctis sane commentariis, quasi fundamentis niti mihi licebat. Tantum autem abest, ut me hisce adminiculis adjutum omnes spinas atque difficultates, quae plurimae in hoc fragmento reperiuntur, vicisse confidam, ut tot relictae ab instituto opere me haud dubie deterruissent, nisi in legis tam mutilae interpretatione, vel solam rerum dubiarum disquisitionem non prorsus sterilem fore et sine omni fructu, censuissem.

Jam ipsum legis nostrae argumentum, quanti ad juris Romani historiam sit momenti, commemorare vix opus esse videtur. Nam praeter eam legis partem, quae ad urbis ipsius Romae ornandae purgandaeve disciplinam pertinet, quid gravius eo, quod de re municipali Romanorum, cujus, prima aetate, historia summis obvoluta est tenebris, edocemur? Jus autem civile s. privatum quid magis spectat, quam causarum, propter quas infamia irrogatur, diligens et accurata enumeratio? Utinam igitur totam legis tabulam integram exhibere nobis liceret! Sed hoc quoniam temporis iniquitate prohibemur, ea quae casu adhuc supersunt, eo diligentius erunt conservanda.

Quum enim anno 1732 arator, boves per limum rivi cujusdam Salandrae in Lucania agens, tabulam aeneam animadvertisset, ejus effossae in parte adversa graecam inscriptionem s. psephisma de agri cujusdam a Heracleensibus Baccho consecrati dimensione atque finibus, aversa parte latinam contineri appa-

ruit. Similis autem lamina, quam anno 1755 Anglus BRIAN FAIRFAX in Italia emtam per MAITTAIRIUM edendam curaverat, Neapolin postea delata, ubi alterum illud aeneae tabulae segmentum in Museo Herculanensi latitabat, ea apparuit, quae illi prorsus jungi et in unam tabulam restitui posset. Itaque factum est, ut AL. SYMM. MAZOCHIUS, hoc munere a rege dato, utrumque segmentum, interpretum ad priorem tabulae partem notis adjectis, commentario magno atque doctissimo illustrans, fragmentum quidem, sed tamen fragmentum quantum fieri potuit, integrum nobis traderet.

In quo nunc interpretando, eam secutus sum rationem, ut, praemissis cum accurato fragmenti omniumque sculptoris mendorum exemplo, notis criticis, tum in legis aetate indaganda atque causa, tum in singulis rebus explicandis versarer. Ne tamen menda saepe recurrentia, toties in notis criticis corrigere necesse esset, minoris momenti correctiones,

satis perspicuas vel jam semel bisve notatas, in recensione fragmenti, quam, MAZOCHIO praeeunte, mendis purgatam subjeci, tacite recipiendas mutavi.

1 QVEM · H · L · AD · COS · PROFITEREI · OPORTEBIT · SEI · IS · QVOM · EVM · PROFITEREI · OPORTEBIT · ROMAE · NON · ERIT · TVM · QVEI · EIVS
2 NECOTIA · CVRABIT · IS · EAFDEM ·

Quem hac lege ad consulem profiteri oportebit, si is, quum eum profiteri oportebit, Romae non erit, tum qui ejus negotia curabit,

---

v. 1. AD · COS. Noli, quod v. 15 legitur: IS · APVD · QVEM · EA · PROFESSIO · FIET; ideo vocem: AD scribendi esse compendium pro: APVD, suspicari. Nam licet haec nota non sit inusitata, tamen v. 7. COS · ATQVE · — PROF · FIERI · OP · (pro: AD · QVEM negligenter sculptum) haud obscure repugnat. Cic. Ligar. c. 10. *ad judicem sic agi solet.*

v. 2. NECOTIA. Litterae: C et G in hac lege promiscue positas videmus. v. 49, 52, 57, 60, 65, 69. 72. Conr.

Ibid. EAFDEM pro: EAEDEM idque pro: EADEM. F pro E v. 69. Conr.

OMNIA · QVAE · EVM · QVOIVS · NECOTIA · CVRABIT · SEI · ROMAE · ESSET · H · L · PROFITEREI
3 OPORTEBIT · ITEM · ISDEMQVE · DIEBVS · AD · COS · PROFITEMINO
4 QVEM · H · L · AD · COS · PROFITEREI · OPORTEBIT · SEI · IS · PVP : SEIVE EA · Vq. ERIT · TVM · QVEI :

is eadem omnia, quae eum, cujus negotia curabit, si Romae esset, hac lege profiteri oporteret, item iisdemque diebus ad consulem profitetor.

Quem hac lege ad consulem profiteri oportebit, si is pupillus, sive ea pupilla erit, tum qui

---

v. 3. OPORTEBIT. Sic tabula, omnesque editores; sed haud dubie, oratione indirecta conjunctivum flagitante, OPORTEBIT corrigendum esse in: OPORTERET, vv. 6 et 9 satis demonstrant.

Ibid. ITEM pro: ITIDEM. MAZ. — Cf. v. 161. ITEM · TENETO · VTEI · caet.

Ibid. PROFITEMINO · pro: PROFITETOR antiquo scribendi more. Exempla apud CONR. quibus addi potest lex de finibus apud GRUT. p. 204. AGRVM · NEI · HABETO · NIVE · FRVIMINO.

v. 4. Vq. ERIT · pro: PVPILLA · ERIT · ut

EIVS · PVP · Vq. VE · TVTOR · ERIT · ITEM · EADEM QVE · OMNIA · IN · IISDEM · DIEBVS · AD · COS · PROFITEMINO · ITA · VTEI · QVAEQVIBVSQVE · DIIBVS · EVM · EAMVE · SEI · PVP · Vq. VE · NON

ejus pupilli pupillaeve tutor erit, item eademque omnia, in iisdem diebus ad consulem profitetor, ita, uti et quae, quibusque diebus, eum, eamve, si pupillus pupillave non

---

inversae litterae saepius occurrunt. Conr. Videtur quidem haec nota ita esse explicanda verba non dissimilia in praetoris edicto extant. fr. 5. §. 2. D. 42, 4. *si is pupillus in suam tutelam venerit eave pupilla viripotens fuerit.* Sed quae affert Conr. exempla eam non prorsus declarant; nec enim solum littera Q· inversa pro: P· sed etiam littera V· praeposita offendit.

v. 5. VTEI · EI · pro vitiosa vocis VTEI repetitione habet Maitt. pro: VTEI · ET · sicut v. 11. recte Conr. — Eodem modo v. 55. EI · QVORVM · pro: ET · QVORVM. Saepissime in nostra tabula: VTEI sequente ET vel QVE. v. 14. QVAE · VTEIQVE · IN · TAB · quod cave vertas adverbialiter. Est enim pro: VTEI · ET · QVAE. v. 72. QVIBVS · VTEIQVE quod a Maz. minus recte explicatur. cf. not. ad v. 72.

6 EST · H · L · PROFITEREI · OPORTERET ·
7 SEI · COS · ATQVE · H · L · PROFESSIONES · FIEREI · OPORTEBIT · ROMAE · NON · ERIT · TVM · ISQVEM · PROFITEREI · OPORTEBIT · QVOD · EVM · PROFITEREI

esset hac lege profiteri oporteret.

Si consul, ad quem hac lege professiones fieri oportebit, Romae non erit, tum is, quem profiteri oportebit, quod eum profiteri opor-

---

v. 6. NON EST. Rectissime Vir Cl. Hugo (Civ. Mag. tom. III. p. 347.) legendum censet: ESSET · ut v. 2. SEI · ROMAE · ESSET. — Ac similis emendatio quin in lege de Gallia Cisalpina Col. I. v. 49 adhibenda sit, equidem non dubito. Verba sunt: QVAE · (nomina) IN · EARVM · QVA · FORMVLA · S · S · EST · ubi legendum: S · S · ESSENT. Nam SVNT pro: EST emendatio videtur nimis a litteris abhorrens. Suadent levem illam correctionem verba ejusdem legis Col. II. v. 40. ATQVE · VTEI. — v. 43. I · D · P · ESSET · i. e. juri dicundo praeesset.

v. 7. ATQVE · AD · QVEM · recte restituit Maitt. Quid sibi velit Conr. ATQVE · pro: *eo tempore quum* esse dictitans, non video. Etiamsi enim, quae unica est ratio talem sensum extun-

8 OPORTEBIT · AD · PR · VRB · AVT ·
SEI · IS · ROMAE NON · ERIT · AD ·
EVM · PR · QVEI · INTER · PERE-
GRINOS · IVS · DEICET · PROFITE-
MINO · ITA · VTEI
9 EVM · AD · COS · SEI · TVM · RO-
MAE · ESSET · H · L · PROFITEREI ·
OPORTERET
10 SEI · EXIIS · COS · ET · PR · AD ·
QVOS · H · L · PROFESSIONES · FIE-

tebit, ad praetorem urbanum, aut, si is Romae non erit, ad eum praetorem, qui inter peregrinos ius dicet, profitetor, ita, uti eum ad consulem, si tum Romae esset, hac lege profiteri oporteret. Si ex iis consulibus et praetoribus, ad quos hac lege professiones fieri

---

dendi, suppleatur: *simul;* tamen ne hoc quidem satis erit aptum.

v. 8. DEICET Errat MAZ. DEICET antiquo scribendi more pro: DEICIT poni existimans. Futurum enim in vetustissimis monumentis, ubi magistratus munera describuntur, invenitur. Cf. v. 37. Q · (quaestor) QVEI · AERARIO · PRAERIT · (praeerit) v. 39, 47, 48, 55 caet. Eodem modo in lege de Gall. Cisalp. litterae I. D. P. interpretari oportet: *iuri dicundo praeerit* non: *praeest.*

REI · OPORTIBIT · NEMO · EORVM ·
ROMAE · ERIT · TVM · IS QVEM · PRO-
FITEREI · OPORTEBIT
11 ET · QVOD · EVM · EVM · PROFITE-
REI · OPORTEBIT · AD · TR · PL ·
PROFITEMINO · ITA · VTEI · EVM ·

oportebit, nemo eorum Romae erit, tum is, quem profiteri oportebit, quod eorum (utei et quod eorum?) eum profiteri oportebit, ad tribunum plebis profitetor, ita uti eum ad

---

v. 11. ET · QVOD. Vox: ET hoc loco minus apta videtur, quum neque, quo cum ET jungatur, praecedat, neque *etiam* converti possit. v. 7. ubi eadem verba leguntur ET deficit. Aut igitur ex praecedenti versu: VTEI exesum est: VTEI · ET · QVOD. cf. v. 5. quod in nostro aere non esse inauditum v. 45 demonstrat, ubi manifesto vox: IVDICEM exesa est, (cf. quoque v. 160.) aut vitiosa est syllabae ET in OPORTEBIT repetitio.

Ibid. QVOD · EVM · EVM. Reponit Maitt. EVM · TVM · quod tamen prorsus redundat, praesertim quum paullo ante legatur v. 10. TVM · IS. Conr. restituit: EVM · EAM · (sc. pupillum, pupillam) quod neque antecedenti v. 10. IS neque sequenti v. 11. fin. EVM · respondet. Maz. Conradium sequitur. Aut, quae alia est Maittairii conjectura, vitiosa est repetitio, aut forsan prius: EVM interpretari licet *eorum* (ut v. 52. fin. EVM ·

AD · COS · PR · VRB · EVMQVE · QVEI · INTER · PEREGRI

12 NOS · IVS · DEICET · SEI · TVM · ROMAE · ESSET · H · L · PROFITEREI · OPORTERET

13 QVOD · QVEMQVEM · H · L · PROFITEREI · OPORTEBIT · IS · APVD · QVEM · EA · PROFESSIO · FIET ·

consulem, praetorem urbanum, eumve qui inter peregrinos jus dicet, si tum Romae esset, hac lege profiteri oporteret.

Quod quemquem hac lege profiteri oportebit, is, apud quem ea professio fiet (et)

[eorum] H · L · N · R ·) ita: QVOD · EORVM · (sc. quae supra scripta sunt) EVM · PROFITERI · OPORTEBIT. Sic v. 71. EORVM · QVOD. cf. v. 94, 105. lex Gall. Cis. Col. I. v. 28. QVOD · EIVS · — DECREVERIT; ubi tamen propter v. 58. legendum videtur: QVOD · EIVS · IS · caet. ultimis litteris repetitis.

Ibid. EVMQVE · QVEI. Malim legere: EVMVE · ut. v. 37. Q · VRB · EVMVE · QVEI · AERARIO · PRAERIT. Voculas VE et QVE saepissime in inscriptionibus reperimus perperam commutatas.

v. 13. EIVSQVE · PROFITEBITVR. Correxit Maitt. EIVS · QVEI. Sed si totam verborum

EIVSQVE · PROFITEBITVR · NOMEN · ET · EA · QVAE · PRO
14 FESSVS · ERIT · ET · QVO · DIE · PROFESSVS · SIT · IN · TABVLAS · PVBLICAS · REFERVNDA · CVRATO · EADEMQVE · OMNIA · QVAE · VTEIQVE · INTABVLAS
15 RETTVLERIT · ITA · IN · TABVLAM · IN · ALBVM · REFERVNDA · IDQVE · APVD · EORVM · ET · QVOM · FRVMENTVM · POPVLO · DABITVR · IBEI · VBEI · FRVMEN

ejus, qui profitebitur, nomen, et ea, quae professus erit, et quo die professus sit, in tabulas publicas referunda curato, eademque omnia, quae, utique in tabulas retulerit, ita in tabulam, in album referunda, idque apud forum, et, quum frumentum populo dabitur, ibi, ubi fru-

---

constructionem accuratius inspexeris, qua voce *et* singula connectuntur, legendum videtur: EIVSQVE · QVEI aut, quae lectio vel magis placet, ita: PROFESSIO · FIET · ET · EIVS · QVEI caet.

v. 15. EORVM pro: FORVM. Conr. — Eodem plane modo in leg. de Gall. Cisalp. Col. II. v. 26. IN · EORVM · QVO · O · M · C · P · E caet.

16 TVM · POPVLO · DABITVR · COTTIDIE · MAIOPEM · PARTEM · DIEI · PROPOSITVM · HABETO · V · D · P · R · L · P ·
17 QVEIQVOMQVE · FRVMENTVM · POPVLO · DABVNT · DAMDVMVE · CVRABIT · NEIQVE · EORVM · · QVORVM ·

mentum populo dabitur, quotidie majorem partem diei propositum habeto, unde de plano recte legi possit.

Quicunque frumentum populo dabunt, dandumve curabit, ne cui eorum, quorum no-

---

ubi E est pro F id est: FORO. cf. not. ad v. 2. EAFDEM.

v. 16. V · D · P · R · L · P · Cujac. Observ. lib. VII. 29. defendit hanc interpretationem: VNDE *de plano recte legi possit.* auctore Val. Probo, et aere quodam antiquae legis, ubi litteris integris legitur: APVD · FORVM · VNDE · DE · PLANO · RECTE · LEGI · POSSITVR · (obsol. pro *possit*). Josephus lib. XIX. *ὅθεν ἐξ ἐπιπέδου καλῶς ἀναγνωσθῆναι δύναται.* Sed a Mazochio laudatur fragm. judic. ap. Gruter. p. 509, APVD · FORVM · PALAM · VBI · caet. Utrumque igitur pari ratione in usu fuisse videtur. cf. Maz. ad h. v.

v. 17. NEI · QVE. NE · QVEI · Maitt. Rectius: NE · QVOI. Hugo.

NOMINA · H · L · AD · COS · PR · TR ·
PL · INTA
18 BVLA · IN · ALBO · PROPOSITA · ERVNT ·
FRVMENTVM · DATO · NEVE · DARE ·
IVBETO · NEVE · SINITO · QVEI · ADVERSVS · EA · EORVM · QVEI · FRVMENTVM

mina hac lege a Consule, praetore, tribuno plebis in tabula, in albo proposita erunt, frumentum dato, neve dare jubeto, neve sinito.

Qui adversus ea, eorum cui frumentum

Ibid. AD · COS. Sic omnes editores. Sed pro: AD non dubito legere: AB Confule (obsoloete pro: a Consule, ut v. 82. AB · CENS.) quod et sensus flagitat; nam versibus antecedentibus legitur IS (sc. cons. caet.) PROPOSITVM · HABETO · et iisdem verbis occurrit v. 147. FORMVLA · QVAE · AB · EO · — PROPOSITA · ERIT. AD pro: *apud* scriptum putat CONR. sed ne hoc quidem, quid sibi velit, intelligo; nam *ad* vel *apud* consulem profiteri quemque oportebat, nec tamen tabula proponi poterat.

v. 18. DATO · — IVBETO · — SINITO. Ut saepius, ita hic quoque singularis numerus pluralis miscentur. Nam propter antecedens: DABVNT rectius legeretur: DANTO caet. Sic v. 21. EARVM · QVAE · VIAE · — IS · EAM · VIAM. v.

19 DEDERIT · IS · IN · TR · M · I · HS · ƀ · POPVLO · DARE · DAMNAS · ESTO · EIVSQVE · PECVNIAE · QVEI · VOLET · PETITIO · ESTO

dederit, is in tritici modium unum sestertios quingentos populo dare damnas esto, ejusque pecuniae (ei) qui volet, petitio esto.

---

40. EVM · OSQVE (*eosve*) — REFERVNDVM · CVRATO. v. 89. 147.

Ibid. DARE · IVBETO. Non ausim, secundum grammaticae normas reponere: DARI vel DAREI; quum similis constructionis negligentia haud raro in antiquis monumentis reperiatur. Fragmentum legis de Gallia Cisalp. in iisdem verbis mirum in modum variat. Col. I. v. 17. IVDICAREIQVE · IVBETO. v. 20. IVDICAREVE · IVSSVM. cff. ibid. v. 21. 27. 47. 51.

v. 19. IN · TR · M · I · HS · D · *in tres menses unum sestertium*, minus apte interpretatur Maitt. Melius Maffei: *intra mensem unam sestertios quingentos.* Quod et Maz. probat. Conr. ita: *in tritici modium unum sestertios quingentos.* Quae lectio maxime placet, quum in tota tabula temporis ratio non per mensium, sed per dierum computationem habeatur. v. 41. DIEBVS · XXX · PROXVMEIS. v. 144. DIEBVS · LX · PROX. v. 151. Accedit quod nec in similibus locis certum poenae luendae tempus constituitur ut v. 97. 107. 125. Ra-

QVAE · VIAE · IN · VRBEM · ROM · PROPIVSVE · V · R · P · VBEI · CON-

Quae viae in urbe Roma, propiusve urbem Romam passus mille, ubi continenti

---

tio autem secundum mensuram, rerumque numerum poenam constituendi quam sit vulgaris, cf. Comm. ad h. v. In quo id tantum offendit, quod interpretamur: in modium *unum;* vereor enim ne hoc minùs latine dicatur, quia in ejusmodi locis semper scriptum reperitur: in res *singulas.* v. c. in terminos *singulos.* In XII tab. IN · SINGVLAS · (sc. arbore furtim caesas) XXV. AERIS LVITO. Plura exempla vid. in Com.

v. 20. IN VRBEM ROM. Prisce more Conr. accusativum pro ablativo positum censet. Sic in lege antiqua: IN · AMICITIAM · MANSERIT. Antiq. Cap. Neap. ap. Grut. p. 208. QVAMQVAM NON · IVRE · FACTA · EMTIONE · SEMPER · IN · POSSESSIONEM · FVERINT. Quod autem in lege Thoria est: QVEI · AGER · POPLICVS · POPVLI · ROMANEI · IN · TERRAM · ITALIAM · FVIT·, quoniam in sequentibus ejusdem legis versibus semper invenitur: *in · terra · Italia;* hoc forsan sculptoris negligentiae magis erit tribuendum. Idemque in nostrum locum cadere mihi videtur. Primo enim in lege Glaucia Servilia claris verbis legitur: IN · VRBE · ROMA · PROPIVSVE · caet. Deinde in nostrae tabulae v. 26. ita: IN · VRBEM · ROMA. Etsi porro v. 20. 26 et 50. ubi:

TINENTE · HABITABITVR · SVNT · ERVNT . QVOIVS · ANTE · AEDIFI-

habitabitur, sunt, erunt, cujus ante aedificium

IN · VRBEM · legitur, numerus passuum non reperiatur additus, tamen v. 66 et 69. ubi eadem verba, sed siglis expressa recurrunt: IN · V · R · P · VE · V · R · P · M. numeri signum M non desideratur; ita ut mirum in modum littera M toties, sculptoris vitio, male tantum collocata esse videtur. Nisi hoc fortuito potius casu factum est. — IN · notam esse pro: INTRA · quae alia CONR. conjectura, quamque v. 50 quidem pro certa habet et indubitata, vix equidem credam; nam v. 56 ubi INTRA · occurrit, integris litteris scriptum est, nec minus locus legis SERVIL. GLAUC. simillimus repugnare videtur.

Ibid. PROPIVSVE · V · R · P · *Urbem romani populi* explicat MAITT. Rectius CONR. *urbem romam passus*.... Passuum enim numerus, siglo expressus, hic et v. 26 et 50 excidit. Verum v. 66 et 69 talis nota M in aere apparet, quam recte *mille* interpretatus est MAFFEI. Etsi autem in textu nobis accurate exhibendo, MAITT. post P · spatii aliquid reliquerit, tamen hoc cum leg. de Gall. Cis. loco comparari non potest, ubi Col. I. v. 27. post sestertiorum notam: HS · eorum numerus non additur. Ideo enim hoc factum est, quod exempli tantum causa, nullo certo neque debitore neque debito, formula proposita sit.

Ibid. CONTINENTE · pro: CONTINENTI · vel CONTINENTEI. vid. Comm.

CIVM · EARVM · QVAE
21 VIAE · ERVNT · IS · EAM · VIAM · ARBITRATV · EIVS · AED · QVOI · EA · PARS · VRBIS · H · L · OB · VENERIT · TVEATVR · ISQVE · AED · CVRATO · VTI · QVORVM ·
22 ANTE · AEDIFICIVM · ERIT · QVAMQVE · VIAM · H · L · QVEMQVE · TVERI · OPORTEBIT · EI · OMNES · ARBITRATV · EIVS . TVEANTVR · NEVE · EO
23 LOCO · AO · CONSISTAT · QVOMINVS · COMMODE · POPVLVS · EA · VIA · VTATVR

earum quae viae erunt, is eam viam, arbitratu ejus aedilis, cui ea pars urbis hac lege obvenerit, tueatur, isque aedilis curato, uti, quorum ante aedificium erit, quamque viam hac lege quemque tueri oportebit, ei omnes, arbitratu ejus tueantur, neve eo loco aqua consistat, quo minus commode populus ea via utatur.

---

v. 23. AO · CONSISTAT · pro: ADCONSISTAT. Maitt. sed neque sensus sanus; *quid* enim adconsistere dicitur? neque vox unquam audita. Rectius Conr. AQVA · CONSISTAT. O · pro Q · saepius cf. v. 15. QVEMOVEM. In qua

24 AED · CVR · AED · PL · QVEI · NVNC · SVNT · QVEIQVOMQVE · POST · H · L · FACTEI · CREATEI · ERVNT · EVMVE · MAG · INIERINT · IEI · INDIEBVS · V · PROXVMEIS ·

25 QVIBVS · EO · MAG · DESIGNATEI · ERVNT · EVMVE · MAG · INIERINT · INTER · SE · PARANTO · AVT · SORTIVNTO · QVA · INPARTEI · VRBIS · QVISQVE

Aedilis curulis, aedilis plebis, qui nunc sunt, quicunque post hanc legem facti, creati erunt, eumve magistratum inierint, ii in diebus quinque proxumis, quibus ei magistratui designati erunt, eumve magistratum inierint, inter se(com)paranto aut sortiunto, qua in parte urbis quisque

---

optima conjectura eo tantum paullum offendor, quod in tot inscriptionibus et legibus de aquis, ut in SCtis de aquaeduct. apud FRONTINUM, ubi toties vox: AQVA· recurrit, nusquam haec nota: AQ· reperitur. Nec tamen eo, quo minus CONR. lectionem, toti praesertim legis argumento, ut infra in Com. apparebit, tantopere respondentem libenter arripiam, impedior.

v. 25. EO · MAG. Non dativum antiquo flexu pro: *ei* quod MAITT. putat, sed casum sextum pro

26 EORVM · VIAS · PVBLICAS · IN · VRBEM · ROMA · PROPIVSVE · V · R · P · REFICIVNDAS · STERNENDAS · CVRET · EIVSQVE · REI · PROCVRATIONEM

27 HABIAT · QVAE · PARS · QVOIQVE · AED · ITA · H · L · OBVENERIT · EIVS · AED · INEIS · LOCEIS · QVAE · INEA · PARTEI · ERVNT · VIARVM · REFICIEN

28 DARVM : TVEMDARVM · PROCVRATIO · ESTO · VTEI · H · L · OPORTEbIT

29 QVAE · VIAM · PIP · AEDEM · SACRAM ·

eorum vias publicas in urbe Roma, propiusve urbem Romam passus mille, reficiundas, sternendas curet, ejusque rei procurationem habeat. Quae pars cuique aedili ita hac lege obvenerit, ejus aedilis in iis locis, quae in ea parte erunt, viarum reficiendarum, tuendarum procuratio esto, uti hac lege oportebit.

Quae via inter aedem sacram, item

---

tertio positum putat Conr. vid. Cort. ad Sallust. Jugurth. c. 16. Catil. c. 2.

v. 29. VIAM · PIP. Recte ita reposuit Maitt. QVAE · VIA · INTER. (M · i. e. IN · PIP · valde

IT · AEDIFICIVM · LOCVMVE · PV-
BLICVM · ET · INTER · AEDIFICIVM ·
PRIVATVM · IST · ERIT · EIVS
30 VIAE · PARTEM · DIMIDIAM · IS · AED ·
QVOI · EA · PARS · VRBIS · OB · VE-
NERIT · IN · QVA · PARTE · EA · AE-
DIS · SACRA · ERIT · SEIVE · AEDI-
FICIVM
31 PVBLICVM · SEIVE · LOCVS · PVBLI-
CVS · TVEMDAM · LOCATO
32 QVEMQVOMQVE · ANTE · SVVM · AE-
DIFICIVM · VIAM · PVBLICAM · H ·

aedificium locumve publicum, et inter aedificium privatum est, erit, ejus viae partem dimidiam is aedilis, cui ea pars urbis obvenerit, in qua parte ea aedes sacra erit, sive aedificium publicum, sive locus publicus, tuendam locato.

Quemcunque ante suum aedificium viam pu-

---

corruptum pro: TER.) Quod optime respondet sequenti: ET · INTER · AEDIF.

Ibid. IT · AEDIFICIVM · pro: ET · AED · Maitt. et Conr. Pro: ITEM Maz. quod necessariae ejusmodi legis perspicuitati magis est accommodatum, ne verba: ET · AED. verbis: ET · INTER · AEDIF. respondere videantur.

L · TVERI · OPORTEBIT · QVEI · EO-
RVM · EAM · VIAM · ARBITRATV ·
EIVS · AED ·
33 QVOIVS · OPORTVERIT · NON · TVE-
BITVR · EAM · VIAM · AED · QVO-
IVS · ARBITRATV · EAM · TVEREI ·
OPORTVERIT · TVEMDAM · LOCATO ·
34 ISQVE · AED · DIEBVS · NEMINVS · X ·
ANTEQVAM · LOCET · APVT · FO-
RVM · ANTE · TRIBVNALE · SVOM ·
PROPOSITVM · HABETO · QVAM
35 VIAM · TVENDAM · ET · QVODIE · LO-
CATVRVS · SIT · EI · QVORVM · ANTE ·
AEDIFICIVM · EA · VIA · SIT · EIS-

blicam hac lege tueri oportebit, qui eorum eam viam, arbitratu ejus aedilis, cujus oportuerit, non tuebitur, eam viam aedilis, cujus arbitratu eam tueri oportuerit, tuendam locato, isque aedilis diebus ne minus decem, antequam locet, apud forum, ante tribunale suum, propositum habeto, quam viam tuendam, et quo die locaturus sit, et quorum ante aedificium ea via sit;

---

v. 34. DIEBVS. Minus accurate dictum pro: *dies;* ut saepius. cf. ULPIANI frr. III. §. 5 et 6.

v. 35. EI · QVORVM. Haud dubie legendum ET · QVORVM. HUGO. cf. v. 5, v. 59.

QVE · QVORVM · ANTE · AEDIFI-
CIVM ·
36 EA · VIA · ERIT · PROCVRATORIBVS-
VE · EORVM · DOMVM · DENVNCIE-
TVR · FACITO · SE · EAM · VIAM ·
LOCATVRVM : ET : QVODIE · LO-
CATVRVS
37 SIT · EAMQVE · LOCATIONEM · PA-
LAM : INFOPO : PER · Q · VRBEVM-

eisque, quorum ante aedificium ea via erit, procuratoribusve eorum, domum denuncietur facito, se eam viam locaturum, et quo die locaturus sit; eamque locationem palam in foro per quaestorem urbanum, eumve

---

v. 36. DOMVM · DENVNCIETVR · pro: *ut dom. den.* MAZ. — Eodem plane modo in lege SERV. GLAUCIA. IS · (praetor) EOS · QVOS · EX · H · L · CDL · VIROS · LEGERIT · FACITO · IN · CONTIONE · RECITENTVR.

v. 37. IN · FOPO · pro: IN · FORO · MAITT. Pro antiquo forma litterae R putat CONR. Sic v. 40. 43. 45. 52. Nec tamen sculptoris potius mendum dicere dubitaverim, quum in reliquis tot vocabulis semper forma R nec P inveniatur.

Ibid. PER · Q · VRBEVMVE. *Per quaestorem urbanum eumve.* CONR.

VE · QVEI · AERARIO · PRAERIT · FACITO · QVAMTA · PECVNIA · EAM
38 VIAM · LOCAVERIT · TAMTAE · PECVNIAE · EVM · OSQVE · QVORVM · ANTE · AEDIFICIVM · EA · VIA · ERIT · PROPORTIONI · QVANTVM
39 QVOIV QVE · ANTE · AEDIFICIVM · VIAE · INLONGITVDINE · ET · INLATITVDINE · ERIT · Q · VRB · QVEIVE · AERARIO · PRAERII · INTABVLA

qui aerario praeerit, facito. Quanta pecunia eam viam locaverit, tantae pecuniae eum, eosve, quorum ante aedificium ea via erit, pro portione quantum cujusque ante aedificium viae in longitudine et in latitudine erit, quaestor urbanus, queive aerario praeerit, in tabulas

---

v. 38. EVM · OSQVE · pro: EVM · EOSQVE. Conr. Sed malim corrigere levi illa mutatione, qua toties in antiquis monumentis opus est, in EOSVE. Id enim et sensus postulare videtur, et v. 41. sculptum reperitur.

Ibid. PROPORTIONI · leg. PRO · PORTIONE. Conr.

v. 39. QVOIVQVE — QVOIVSQVE. *Idem.*

Ibid. PRAERII · — PRAERIT · idque pro PRAEERIT. *Idem.*

Ibid. INTABVLA · — IN · TABVLAS. *Idem.*

40 PVBLICAS · PECVNIAE · FACTAE · RE-
FERVNDVM · CVPATO · EI · OVOII ·
EAM · VIAM · IVEMDAM · REDEME-
RIT · TAMTAE · PECVNIAE · EVMEOS
41 VE · AD · TRIBVITO · SINE · D · M · SEIIS·
QVEI · AD · TRIBVTVS · ERIT · EAM ·
PECVNIAM · DIEBVS · XXX · PROXV-
MIIS · QVIBVS · IPSE · AVT · PRO
42 CVRATOR · EIVS · SCIET · ADTRIBV-

publicas pecuniae factae referundum (referundos) curato. Ei, qui eam viam tuendam redemerit, tantae pecuniae eum eosve adtribuito, sine dolo malo. Si is, qui adtributus erit, eam pecuniam diebus triginta proxumis, quibus ipse aut procurator ejus sciet, adtributionem factam

---

v. 40. REFERVNDVM. Etsi verbis: EVM· EOSVE· non accurate respondet, tamen corrigere in: REFERVNDOS· vix ausim, quum ejus modi in scribendo negligentia haud raro in antiquis legibus inveniatur.

Ibid. EI · OVOII· — EI · QVEI. Conr.

Ibid. IVNDAM — TVENDAM. *Id.*

v. 41. SINE · D · M· Nota pro: *sine dolo malo.* In leg. Gall. Cisalp. Col. I. v. 45. ita: S · D · M·

v. 42. OVOI · AD · TRIBVTVS· — QVOI · AD-

TIONEM · FACTAM · ESSE · EI · OVOI · AD · TRIBVTVS · ERIT · NON · SOLVERIT · NEQVE · SATIS · FECERIT · IS ·

43 QVAMTAE · PECVNIAE · AD · TRIBVTVS · ERIT · TAMTAM · PECVNIAM · ET · EIVS · DIMIDIVM · II · QVOI · AD · TRIBVTVS · ERIT · DAPEDIBITO

44 INQVE · EAMRIM · IS · QVO · QVOMQVE · DE · EARE · ADITVM · ERIT · IVDICEM · IVDICIVMVE · ITA · DAIO · VTEI · DEPECVNIA · CREDITA

esse, ei, cui adtributus erit, non solverit, neque satis fecerit, is, quantae pecuniae adtributus erit, tantam pecuniam et ejus dimidium ei, cui adtributus erit, dare debeto, inque eam rem is, quocunque de ea re aditum erit, judicem judiciumque ita dato, uti de pecunia credita

---

TRIBVTVS. Sic saepius AD · TRIBVERE. v. 45. 49. v. 50. OBVENERIT.

v. 43. DAPE · DIBITO · — DARE · DEBETO. Conr.

v. 44. EAMRIM · — EAM · REM. *Id.*

Ibid. DAIO — DATO. *Id.*

Ibid. QVOQVOMQVE · caet. Sic in lege Tho-

45 IVDICIVMQVE · DARI · OPORTEBIT
46 QVAM · VIAM · H · L · TVEMDAM · LOCARI · OPORTEBIT · AEDQVEM · EAM · VIAM · TVENDAM · LOCARE · OPORTEBIT · IS · EAM · VIAM · PER
47 Q · VRB · QVEIVE · AERARIO · PRAERIT · TVEMDAM · LOCATO · VTEI · EAM · VIAM · ARBITRAIV · EIVS · QVEI · EAM · VIAM · LOCANDAM

(judicem) judiciumque dari oportebit.

Quam viam hac lege tuendam locari oportebit, aedilis, quem eam viam tuendam locare oportebit, is eam viam per quaestorem urbanum, quive aerario praeerit, tuendam locato, uti eam viam arbitratu ejus, qui eam viam lo-

---

RIA, iisdemque plane verbis in leg. Gall Cis. Col. I. v. 16. Postea ita concipi solebat formula: *ad quos in iure aditum erit.* Ut in SCto VELLEI. fr. 2. §. 1. D. XVI, 1.

Ibid. IVDICIVMVE. Malim: IVDICIVMQVE· ut v. 45. quod et sensus postulare videtur.

v. 45. IVDICIVMQVE. Recte CONR. vidit reponendam esse ex antecedenti v. 44. vocem: IVDICEM.

v. 47. ARBITRAIV — ARBITRATV. CONR.

48 CVRAVERIT · TVEATVR · QVAMTAM · PECVNIAM · ITA · QVAEQVE · VIA · LOCATA · ERIT · T · P · Q · VRB · QVEIVE · AERARIO · PRAERIT

candam curaverit, tueatur. Quanta pecunia ita quaeque via locata erit, tantam pecuniam quaestor urbanus, quive aerario praeerit,

---

v. 48. TVEATVR· quis? supple: redemtor viae tuendae.

Ibid. QVANTAM · PECVNIAM· leg. QVANTA · PECVNIA· MAZ. sic ut. v. 57. recte expressum est: QVANTA · PECVNIA · VIAM · LOCAVERIT.

Ibid. T · P · Q · VRB· Ita MAITT. et CONR. interpretantur: *tribunus, praetor, quaestor urbanus.* Sed in hujusmodi legis accuratissimo dicendi genere vocem: *tantam* omissam esse, vix credi potest. Deinde ut semper, ita in hac quoque tabula, praetorem sequitur tribunus, nec vice versa hunc ille, v. 17. et ubique. Quid autem praetor, quid tribunus in adtributione? Rectius igitur MAZ. ita notas explicavit: TANTAM·PECVNIAM·QVAESTOR · VRB· cf. v. 57. Quae scribendi compendia olim fuisse notissima, ex simillimo legis de Gall. Cis. loco apparet, ubi ordine parumper inverso Col. II. v. 18. ita legitur: T · P· (tanta pecunia) QVANTA · EA · PECVNIA · ERIT. Omnino haec formula fuisse videtur, ut in lege JULIA

49 REDEMTOREI QVOI · ELECE · LOCATIONIS · DARIOPORTEBIT · HEREDEIVE · EIVS · DAMDAM · AD · TRIBVENDAM · CVRATO

50 QVOMINVS · AED · ET · IIII · VIR · VIEIS · IN · VRBEM · PVRGANDEIS · II · VIR · VIEIS · EXTRA · PROPIVSVE · VRBEM · ROM · PASSVS ·

51 PVRGANDEIS · QVEIQVOMQVE · ERVNT · VIAS · PVBLICAS · PVRGAN-

redemtori, cui e lege locationis dari oportebit, heredive ejus dandam, attribuendam curato.

Quo minus aediles et quatuorviri viis in urbe purgandis, duumviri viis extra propiusve urbem Romam passus mille purgandis, quicunque erunt, vias publicas purgandas cu-

---

fr. 64. §. 10. D. XXIV, 3. *quanta pecunia erit, tantam pecuniam dato.*

v. 50. IN · VRBEM. Hic certe CONR. propter sequens: EXTRA legendum censet INTRA. Sed non videtur necessaria correctio; nam in SCto de aquaeduct. apud JUL. FRONTINUM legitur: SALIENTES, · QVI · IN · VRBE · ESSENT, · EXTRAQVE · AEDIFICIA · VRBI · CONIVNCTA · In tertio tamen SCto est: INTRA · EXTRAQVE · VRBEM.

DAS · CVRENT · EIVSQVE · REI · POTESTATEM · HABEANT

52 ITA · VTEI · LEGIBVS · PL · VE · SC · S · C · OPOPTET · OPORTEBIT · EVM · H · L · N · R ·

53 QVOIVS · ANTE · AEDIFICIVM · SEMITA · INLOCO · ERIT · IS · EAM · SEMI-

rent, ejusque rei potestatem habeant, ita uti legibus plebisve scitis, senatusve consultis oportet, oportebit, eorum hac lege nihil rogatur.

Cujus ante aedificium semita in loco erit, is

---

v. 52. PL · VE · SC · S · C · — *plebisvescitis, senatusconsultis.* CONR. Sed excidit haud dubie ante litteram C vocula: VE · ita ut legendum sit: *legibus, plebisvescitis, senatusVE consultis.* Ita enim salva verborum conciunitate v. 72. recte sculptum est. Contraria plane ratione in leg. de Gall. Cis. Col. I. v. 29 et 59. vocula: VE prorsus videtur redundare: EX · LEGE · RVBRIA · SEIVE · ID · PLEBISVESCITVM · EST.

Ibid. EVM · H · L · N · R · — *eorum hac lege nihil rogatur.* Vario modo haec formula in antiquis legibus occurrit. v. c. EX *hac lege* caet. v. 76. EIVS *hac lege nihilum rogatur.* CIC. Caec. c. 33.

v. 53. IN · LOCO. cf. Comm.

Ibid. EO · AEDIFICIO. Aut reponendum EI ·

TAM · EO · AEDIFICIO · PERPETVO ·
LAPIDIBVS · PERPETVEIS
54 INTEGREIS · CONTINENTEM · CON-
STRATAM · RECTE · HABETO · ARBI-
TRATV · EIVS · AED · QVOIVS · INEA ·
PARTE · H · L · VIARVM
55 PROCVRATOR · ERIT ·
56 QVAE · VIAE · IN · V · R · SVNT · ERVNT ·
INTRA · EALOCA · VBI · CONTINENTI ·
HABETABETVR · NEQVIS · INIEIS ·
VIEIS · POST · K · IANVAR ·
57 PRIMAS · PLOSRVM · INTEP · DIV ·
POST · SOLEM · ORTVM · NEVE · ANTE ·

eam semitam, ei aedificio perpetuo lapidibus perpetuis integris continentem, constratam recte habeto, arbitratu ejus aedilis, cujus in ea parte, hac lege, viarum procuratio erit.

Quae viae in urbe Roma sunt, erunt, intra ea loca, ubi continenti habitabitur, ne quis in iis viis post Kalendas Januarias primas, plostrum interdiu, post solem ortum, neve ante

---

aut obsoloeta est dativi forma, ut *isto* pro *isti, toto* pro *toti* caet. cf. Maz. not. 64. p. 550.

v. 55. PROCVRATOR · rep. PROCVRATIO. Maitt.

v. 57. ·INTEPDIV· — INTERDIV. Conr.

HORAM · X · DIEI · DVCITO · AGITO ·
NISI · QVOD · AEDIVM
58 SACRARVM · DEORVM · INMORTA-
LIVM · CAVSSA · AEDIFICANDARVNT ·
OPERISVE · PVBLICE · FACIVMDEI ·
CAVSA · ADVHEI · PoRTA
59 RI · OPORTEBIT · AVT · QVOD · EX ·
VRBE · EXVE · IEIS · LOCEIS · EARVM ·
RERVM · QVAE · PVBLICE · DEMOLI-
ENDA · LOCA · ERVNT · PVBLI

horam decimam diei, ducito, agito, nisi quod aedium sacrarum, deorum immortalium causa, aedificandarum, operisve publice faciundi causa advehi portari oportebit, aut quod ex urbe, exve iis locis, earum rerum, quae publice demolienda loca erunt, publice exportari opor-

---

v. 58. AEDIFICANDARVNT · — AEDIFICANDARVM. *Id.*

v. 59. EXVE · IEIS · — ERVNT. Sculptoris errore Maz. voces: EARVM · RERVM · suo loco motas ita collocandas censet: *quod earum rerum ex urbe, exve ieis loceis, quae publ.* caet. V. Cl. Hugo ita legendum esse suspicatur: EARVM · RERVM · QVAE · PVBLICE · DEMOLIENDAE · LOCATAE · ERVNT. Quarum tamen correctionum neutra opus esse videtur, quum haud raro in ejus-

60 CE · EX · PORTAREI · OPORTEBIT ·
ET · QVARVM · RERVM · CAVSSA · PLO-
STRA · H · L · CERTEIS · HOMINIBVS ·
CERTEIS · DE · CAVSEIS · ACERE
61 DVCERE · LICEBIT
62 QVIBVS · DIEBVS · VIRGINES · VESTA-
LES : REX · SACRORVM · FLAMINES ·
PLOSTREIS · IN · VRBE · SACRORVM ·
PVBLICORVM · P · R · CAVSSA

tebit, et quarum rerum causa plostra hac lege certis hominibus, certis de causis, agere, ducere licebit: (ut:) quibus diebus virgines Vestales, regem sacrorum, flamines, plostris in urbe, sacrorum publicorum populi Romani

---

modi antiquis monumentis, talis verborum implicata dispositio atque confusio reperiatur. Nec enim in aedibus publice aedificandis locationis fit mentio, neque scio an: *earum rerum* aptius dicatur de lapidibus et ruinis, quam de ipsis locis aedificiisque demoliendis. Constructionem itaque eandem quam Maz. sed verborum collocatione nihil mutata, sequor.

v. 62. REX · restituit REGEM. Maitt. Negat Maz. sculptoris esse vitium; sed primum casum, antiqua syntaxi, interdum cum infinitivo jungi. cf. Voss. Art. gram. VII. 20. Verum quum hac in lege, quoties occurrit vox: *oportet*, (saepissime autem occurrit,) toties accusativo jungatur, ne minus

63 VEHI · OPORTEBIT · QVAEQVE · PLOSTRA · TRIVMPHI · CAVSSA · QVODIE · QVISQVE · TRIVMPHAVIT · DVCEI · OPORTEBIT · QVAEQVE ·
64 PLOSTRA · LVDORVM · QVEI · ROMAE · AVT · VRBEI · ROMAE · PVBLICE · FEIENT · INVE · POMPAM ·

causa, vehi oportebit, quaeque plostra triumphi causa, quo die quisque triumphabit, duci oportebit, quaeque plostra ludorum, qui Romae aut urbi Romae publice fient, inve pom-

---

apte Maz. conjecerit, vereor. Restituatur igitur: REGEM. In aliis quoque vocibus monosyllabis, in litteram x exeuntibus simile quiddam perspicere licet,, ita ut in antiquis scriptionibus non flectantur. Sic in XII tabb. lege NOX saepius pro: NOCTV · SI · NOX · FVRTVM · FAXIT. In MS. Ulpiani fragmentorum semper *dox* (dos) pro: *dotem.* (cf. Hugonis praef. ad Ulp. in Jure civ. Antejust.) — Ut hic restituendus est pro nominativo accusativus, ita etiam in leg. de Gall. Cis. Col. I. v. 47. NEIVE · EA · NOMINA — QVAE · S · S · S · (supra scripta sunt) AVT · MVTINA · — IN · IVDICIO · CONCIPEI · CVRET · ubi MVTINAM · legendum esse videtur.

v. 63. TRIVMPHAVIT · pro TRIVMPHABIT. Maitt.

LVDEIS · CIRCIENSIBVS · DVCEI · AGEI · OPVS ·
65 ERIT · QVOVE · MINVS · EARVM · RE-
RVM · CAVSSA · EISQVE · DIEBVS ·
PIOSTRA · INTERDIV · IN · VRBE · DV-
CANTVR · AGANTVR · E · H · L · N · R ·
66 QVAE · PLOSTRA · NOCTV · IN · VR-
BEM · IN · DVCTA · ERVNT · QVOMI-
NVS · EA · PLOSTRA · INANIA · AVT ·
STERCORIS · EX · PORTANDEI · CAVSSA
67 POST · SOLEM · ORTVM · H · X · DIEI ·

pam ludis circensibus, duci, agi opus erit; quove minus earum rerum causa, eisque diebus plostra interdiu in urbe ducantur, agantur, eorum (ex?) hac lege nihil rogatur.

Quae plostra noctu in urbem inducta erunt, quo minus ea plostra inania, aut stercoris exportandi causa, post solem ortum horis decem

---

v. 65. QVOVE · MINVS. Aut versus 62-65 cum v. 61 arctius sunt conjungendi hoc modo: *certeis hominibus, certeis de causeis, agere ducere licebit:* (suppl. *ut* vel: *v. c.*) *quibus diebus virg. — opus erit; quove minus* caet. aut vocula VE in QVOVE est delenda. Malim tamen absque omni correctione v. 62 supplere *ut.*

v. 67. H · X · DIEI. MAITT. et CONR. *hora decima diei.* MAZ. rectius: *horis decem.* cf. Com.

BVBVS · IVMENTEISVE · IVNCTA · IN · V · R · ET · AB · V · R · P · MESSE · LICEAT · E · H · L · N · R ·
68 QVAE · LOCA · PVBLICA · PORTICVSVE · PVBLICAE · IN · V · R · P · VE · V · R · P · SVNT · ERVNT · QVORVM · LOCORVM · QVOIVSQVE · PORTICVS
69 AEDILIVM · FORVMVE · MAG · QVEI · VIEIS · LOCEISQVE · PVBLICE · IS · V·

diei, bobus jumentisve juncta in urbe Roma et ab urbe Roma passus mille esse liceat, eorum hac lege nihil rogatur.

Quae loca publica porticusque publicae in urbe Roma propiusve urbem Romam passus mille sunt, erunt, quorum locorum, cujusque porticus aedilium eorumve magistratuum, qui viis locisque publicis urbis Romae propiusve

---

v. 68. V · R · P · VE · V · R · P · M · Ita Maitt. *urbe Roma, provinciave urbi Romae proxima.* Sed vid. not ad v. 20.

v. 68-73. Mira in hac periodo scribendi apparet inconstantia. Quum enim initio periodi loca publica porticusque publicae commemorentur, illa in sequentibus quoque pluralem numerum retinent, hae in eadem periodo modo plurali modo singulari numero occurrunt. v. 68. *quoiusque · porticus*

R · P · VE · V · R · P · p · PVRGANDEIS ·
FRAERVNT · LECIbVS
70 PROCVRATIO · EST · ERIT · NEIQVIS ·
IN · IEIS · LOCEIS · INVE · IEIS · POR-
TICIBVS . QVID · IN · AEDIFICATVM ·
INMOLITOMVE · HABETO
71 NEVE · EA · LOCA · PORTICVMVE ·
QVAM · POSSIDETO · NEVE · EORVM ·
QVOD · SAEPTVM · CLAVSVMVE · HA-
BETO · QVOMINVS · EIS
72 LOCEIS · PORTICIBVSQVE · · POPV-
LVS · VTATVR · PATEANTVE · NISI ·
QVIBVS · VTEIQVE · LEG PL · VE ·
SC · S · VE · C · CONCESSVM · PER-
MISSVMVE · · ES

urbem Romam passus mille purgandis praeerunt, legibus procuratio est, erit, ne quis in iis locis, inve iis porticibus quid inaedificatum inmolitumve habeto, neve ea loca porticumve quam possideto, neve eorum quod saeptum clausumve habeto, quo minus eis locis porticibusque populus utatur pateantve, nisi quibus utique legibus, plebisvescitis, senatusve consultis concessum, permissumve est.

---

v. 70. *iis · porticibus.* v. 71. *porticum · quam.* v. 72. *porticibusque.*

73 QVIBVS · LOCEIS · EX · EEGE · LOCATIONIS · QVAM · CENSOR · ALIVSVE · QVIS · MAG · PVBLICEIS · VECTIGALIBVS · VLTROVE · TRIBVTEIS

74 FRVENDEIS · TVENDISVE · DIXET · DIXERIT · EIS · QVEI · EA · FRVENDA · TVENDAVE · CONDVTA · HABEBVNT · VT · VTEI · FRVEI · LICE

Quibus locis ex lege locationis, quam censor aliusve quis magistratus publicis vectigalibus ultrove tributis fruendis tuendisve dixit, dixerit, eis qui ea fruenda tuendave conducta habebunt, ut uti frui liceat, uti ea

---

v. 73-77. Haec periodus ex duabus laminae partibus, Britannica et Neapolitana, paucis quibusdam vocibus, quae exesae apparebant, restitutis, conflata est. Verba in v. 76. *ex lege locationis ieisdem* a Maz. non solum sensu suadente, sed etiam nonnullarum litterarum, quae singulae adhuc supersunt, ratione habita, restituta sunt. Sic v. c. post: QVOIQVE · EORVM · intervallo parvo relicto L in tabula apparet. In ultima v. 74 voce LICE aliquid exesum esse, quum satis sit clarum, recte a Maz. restitutum videtur: LICEAT. Ita enim haec vox duobus versibus sejuncta et discerpta erat, ut in versu posteriori incidi oportuisset: AT · VTEI ·

(1) 75 VT · VTEI · EA · AB · EIS · CVSTODIANTVR · CAVTVM · EST · EI · QVOMINVS · EIS · LOCEIS · VTANTVR · FRVANTVR · ITA · VTEI · QVOQVE · EORVM

ab iis custodiantur, cautum est, ei quo minus eis locis utantur, fruantur ita uti cuique eorum

---

(LICEAT · VTEI ·) eoque facilius AT in VT mutari poterat, quod paullo ante v. 71 fin. sculptor inciderat: VT · VTEI · FRVEI. Itaque MAZOCHIO non assentior, VT in ET corrigenti, sic: LICEAT · ET · VTEI · caet. Supervacuum enim erat, ubi de mero jure eorum, qui hac loca conducta habebant, agebatur, officia quoque et onera, ex lege locationis cum jure conjuncta addere. Ipsum verbum: *cautum est*, huic interpretationi repugnat; lex enim *cavere* dicitur *iis*, quibus commoda, promittit, nec iis, quibus onera injungit. Nostra autem lectione probata, causa affertur, cur iis hominibus locorum ususfructus permissus sit. *Ut*, (quo magis) *tale onus loca tuendi custodiendique susciperent, uti frui locis, conductoribus licebat*. Totius igitur periodi hic est ordo: *quo minus iis locis, quibus locis iis*, (i. e. in eorum commodum) *qui ea fruenda tuendave conducta habebant, ex lege locationis, quam — dixerit, ut ea* (loca) *ab iis custodiantur, cautum est, ut uti frui liceat, ii* (quo minus iis locis) *ita utantur fruantur, uti cuique* caet.

(2) 76 EX · LEGE · LOCATIONIS · EISDEM · VTEI · FRVEI · LICEBIT · EX · H · L · N · R ·

(3) 77 QVOS · LVDOS · QVISQVE · ROMAE · P · VE V · R · P · ↀ · FACIET · QVOMINVS · EI · EORVM · LVDORVM · CAVSSA · SCAENAM · PVLPITVM · CETERAQVE

(4) 78 QVAE · AD EOS · LVDOS · OPVS · ERVNT · INLOCO · PVBLICO · PONERE · STATVERE · EISQVE · DIEBVS · QVIBVS · EOS · FACIET · LOCO · PVBLICO · VTEI

(5) 79 LICEAT · E · H · L · N · R

ex lege locationis iisdem uti frui licebit, ex hac lege nihil rogatur.

Quos ludos quisque Romae propiusve urbem Romam passus mille faciet, quo minus ei, eorum ludorum causa, scenam, pulpitum ceteraque, quae ad eos ludos opus erunt, in loco publico ponere, statuere, eisque diebus, quibus eos faciet, loco publico uti liceat, ex hac lege nihil rogatur.

---

v. 77. QVISQVE · pro: *quicunque s. quisquam* ut v. 63. 80. leg. Gall. Cis. Col. I. v. 7. QVA · DE · RE · QVISQVE · caet. Plautus Mil. glor. II, 2, 5. Hecyr. I, 1, 8.

(6) 80 QVEI · SCRIBAE · LIBRAREI · MAGISTRATIBVS · APPAREBVNT · EI · QVOMINVS · LOCEIS · PVBLICEIS · VBEI · IS · QVISQVE · EORVM · APPAREBVNT
(7) 81 IVSERIT · APPARENDI . CAVSSA · VI · ANTVR · E · H · L · N · R ·
(8) 82 QVAE · LOCA · SERVEIS · PVBLICEIS · AB · CENS · HABITANDEI · VTEN-

Qui scribae, librarii magistratibus apparebunt, ei, quo minus locis publicis, ubi is, cuicunque eorum apparebunt, jusserit, apparendi causa utantur, ex hac lege nihil rogatur.

Quae loca servis publicis ab Censore habi-

---

v. 80. QVISQVE · EORVM · APPAREBVNT. Ita Maz. interpretatur: *iis quominus loceis publiceis ubei iis:* (IS enim sculptum esse pro IIS) "*quisque eorum apparebunt*", *jusserit*. APPAREBVNT enim esse ἄκλιτον; magistratum edixisse his verbis: scribae, librarei apparebunt. Aut APPAREBVNT mutandum esse in APPAREANT (suppl. *ut*). Quarum correctionum neutra placet; utraque enim et valde artificiósa, et grammaticae praeceptis repugnat. Ita equidem legendum censeo: VBEI · IS · (sc. magistratus) QVOIQVE · (levissima emendatione, quaque saepius in nostra lege opus esse, vidimus) EORVM · (sc. magistratuum) APPAREBVNT · (sc. scribae librarei) · IVSERIT. Ceterum *quoique* pro *quoiquomque* vid. not. antecedentem ad v. 77.

DEI · CAVSSA · AD · TRIBVTASVNT ·
EI · QVOMINVS · EIS · LOCEIS · VTAN-
TVR · E · H · L · N · R

(9) 83 QVEIQVOMQVE INMVNICIPIEIS ·
COLONEIS PRAEFECTVREIS · FOREIS·
CONCILIABVLEIS · C · R · II · VIR :
IIII · VIR · ERVNT · ALIOVE

(10) 84 QVO · NOMINE · MAG · POTESTA-
TEMVE SVERACIO · EORVM QVEI ·
QVOIVSQVE · MVNICIPIA : COLO-
NIAE · PRAEFECTVRAE

(11) 85 FORO · CONCILIABVLI · ERVNT ·

tandi, utendi causa adtributa sunt, ei quo minus eis locis utantur, ex hac lege nihil rogatur.

Quicunque in municipiis, coloniis, praefecturis, foris, conciliabulis civium Romanorum duumviri, quatuorviri erunt, aliove quo nomine magistratum potestatemque, suffragio eorum, qui cujusque municipii, coloniae, praefecturae, fori, conciliabuli erunt, habe-

---

v. 84. MVNICIPIA · leg. MVNICIPII.

v. 85. FORO — FORI.

Ibid. EORVMQVE · IN · EO. Aut restituendum: EORVM · QVEM · IN aut EORVM · QVOS s. QVEIS et *senatum* pro: *senatores* esse dictum.

HABEBVNT · NEIQVIS EORVMQVE ·
INEO · MVNICIPIO · COLONIAE · PRAE-
FECTVRAT · EOKO · CONCILIA
(12) 86 BVLO · SENATVM · DECVRIONES ·
CONSCRIPTOSVE · LECITO · NEVE ·
SVBLECITO · NEVE · COAPTATO · NE-
VE · RECITANDOS · CVRATO

bunt, ne quis eorum (ali)quem in eo municipio, colonia, praefectura, foro, conciliabulo, (in) senatum, decuriones, conscriptosve legito, neve sublegito, neve cooptato, neve recitandos

---

MAZ. Malim tamen priorem correctionem, quoniam ex M bis posito fallicime evadit; nec obest huic lectioni sequens pluralis numerus: RECITANDOS · CVRATO. v. not. ad v. 18 et 40.

v. 86. COAPTATO · haud dubie pro: COOPTATO · praesertim quum v. 106 sculptum inveniatur: COPTATO. Quamquam MAZ. p. 405 hanc lectionem *coaptato* confessi erroris damnare non audet.

Ibid. SENATVM. Non dubito, MAZOCHIO non recusante, intercalare: IN · SENAT · ut v. 105. et saepius legitur. Nam alia MAZ. interpretatio *senatum* esse pro: *senatorem* vel *senatores* nimis videtur quaesita et artificiosa, praesertim quum in nullo alio hujus legis loco idem observari soleat.

(13) 87 NISI · INDEMORTVEI · DAMNAVEI-
VE · LOCVM · EIVSVE · QVEI · CONFES-
SVS · ERIT · SE · SENATOREM · DECV-
RIONEM · CONSCREIPTVMVE
(14) 88 IBEI · H · L · ESSE · NONLICERE
(15) 89 QVEI · MINOR · ANNOS · XXX · NA-
TVS · EST · ERIT · NEIQVIS · EORVM ·
POST · K · IANVAR SECVNDAS · IN-
MVNICIPIO · COLONIA · PRAEFE
(16) 90 CTVRA · II · VIR · IIII · VIR · NEVE ·

curato, nisi in demortui, damnative locum, ejusve, qui confessus erit, se senatorem, decurionem, conscriptumve ibi hac lege esse non licere.

Qui minor annos triginta natus est, erit ne quis eorum post Kalendas Januarias secundas in municipio, colonia, praefectura, duumviratum, quatuorviratum, neve quem alium

---

v. 89. MINOR · ANNOS · XXX · NATVS. v. 99. eadem verba ita recurrunt: *quei · minor* · ANNEIS · *natus*. Neutrum tamen corrigendum erit, quum utraque ratio non modo saepe in veteribus monumentis, sed etiam in eadem legis SERVILIAE GLAUCIAE periodo occurrat: QVEIQVE · MINOR · ANNEIS · XXX · MAJORVE · ANNOS . LX GNATVS · SIET.

QVEM : ALIVM · MAG · PETITO · NE-
VE · CAPITO · NEVE · GERITO · NI-
SEI · QVEI · EORVM · STIPENDIA
(17) 91 EQVO · IN · LECIONE · III · AVT ·
PEDESTRIA · IN · LEGIONE · VI · FE-
CERIT · QVAE · STIPENDIA · INCA-
STREIS · INVE · PROVINCIA · MAIO-
REV
(18) 92 PARTEM · SVI · QVOIVSQVE ·
ANNI · FECERIT · AVT · BINA · SE-
MESIRIA · QVAE · EI · PRO · SINCV-
LEIS · ANNEIS · PROCEDERE · OPOR-
TEAT
(19) 93 AVT · EI · VOCATO · REI · MI-

magistratum petito, neve capito, neve gerito, nisi qui eorum stipendia equo, in legione, tria, aut pedestria, in legione, sex fecerit, quae stipendia in castris, inve provincia majorem partem sui cuiusque anni fecerit, aut bina semestria, quae ei pro singulis annuis procedere oporteat, aut ei vacatio rei militaris legi-

---

v. 92. SINGVLEIS · ANNEIS · legendum videtur: SING · ANNVEIS · sicut ipsa tabula v. 102 exhibet; quod antecedentibus: BINA · SEMESTRIA · concinnius respondet.

v. 93. VOCATO · recte MAZ. VACATIO · quod etiam v. 103. restituendum est.

D

LITARIS · LECIBVS · PL · VE · SC ·
EXVE · FOIDERE · ERIT · QVOQIR-
CA · EVM · INVEITVM · MERERE :
NON

(20) 94 OPORTEAT · NEVE · QVISQVE ·
PRAECONIVM · DISSICNATIONEM ·
LIBITINAMVE · FACIET · DVM · EO-
RVM · QVID · FACIET · INMVNI

(21) 95 CIPIO · COLONIA · PRAEFECTV-
RA · II VIR · IIII · VIR · ALIVMVE ·
QVEM · MAC · PETITO · NEVE · CA-
PITO · NEVE : GERITO : NEVE · HA-
BEIO

(22) 96 NEVE · IBEI · SENATOR · NEVE ·
DECVRIO · NEVE : CONSCRIPTVS :

bus plebisvescitis exve foedere erit, quocirca eum invitum merere non oporteat, neve quis qui praeconium, dissignationem, libitinamve faciet, in municipio, colonia, praefectura duumviratum. quatuorviratum aliumve quem magigistratum petito, neve capito, neve gerito, neve habeto, neve ibi senator, neve decurio, neve

---

v. 96. S · S · S · *supra · scripti · sunt.* Maz. Notissima scribendi compendia. Leg. Gall. Cis. Col. I. v. 43 et 47.

ESTO · NEVE · SENTENTIAM · DICITO · QVEI · EORVM · EXEIS · O.VEI · S · S · S ·

(23) 97 ADVERSVS · EA · FECERIT · IS · HS · Iↄↄↄ · P · D · D · E · EIVSQVE · PECVNIAE · QVEIVOLET · PETITIO · ESTO

(24) 98 QVIQVOMQVE · INMVNICIPIO · COLONIAE · PRAEFECTVRA · POST · K · QVICT · PRIM · COMITIA · II · VIR · IIR · VIR ALEIVE · QVOI · MAG

(25) 99 ROGANDO · SVB · ROGANDOVE · HABEBIT IS · NEQVEM QVEI · MI-

conscriptus esto, neve sententiam dicito. Qui eorum ex iis, qui supra scripti sunt, adversus ea fecerit, is sestertios Dↄↄ populo dare damnas esto, ejusque pecuniae (ejus) qui volet, petitio esto.

Quicunque in municipio, colonia, praefectura post Kalendas Quinctiles primas comitia duumviros, quatuorviris, aliive cui magistratui rogando, subrogandove, habebit, is ne quem,

v. 99. MINOR · ANNEIS · NATVS · supplendum est ex v. 89: XXX. Maz.

Ibid. QVEI · IBEI. Haud dubie legendum: QVEIVE · IBEI · quod et sensus postulare videtur

NOR · ANNEIS · NATVS · EST · ERIT ·
II · VIR · III · VIR · QVEI · IBEI
(26) 100 ALIVM · MAG · HAPEAT · RENVN-
TIATO · NEVE · RENVNTIAREI · IV-
BETO · NISI · QVEI · SIIPENDIA · EQVO ·
INLECIONE · III · AVT STI
(27) 101 PINDIA · PEDESTRIA · IN · LE-
CIONE · VI · FECERIT · QVAESTIPEN-
DIA · INCASTREIS · INVE · PROVIN-
CIA · MAIOREM · PARTEM · SVI

qui minor annis (triginta) natus est, erit, duumvirum, quatuorvirum, qui*ve* ibi alium magistratum habeat, renuntiato, neve renuntiari jubeto, nisi qui stipendia equo, in legione tria, aut stipendia pedestria, in legione, sex fecerit, quae stipendia in castris, inve provincia majo-

---

et iisdem verbis legitur. v. 105. cf. etiam v. 90 et 98. Mazochius cur ita corrigendum censuerit: QVEI · IBEI · ALIVS · MAGISTRATVS · HABEAT · (pro: *sit*) non video. Quae lectio et valde quaesita et minime necessaria est, dummodo tabulae verba ita interpretemur: quicunque — ne duumvirum, talemve qui (*queive*) alium magistratum habeat caet. i. e. alium quem magistratum, renuntiato.

(28) 102 QVOIVSQVE · ANNI · FECERIT · AVT · BINA · SEMESTRIA · QVA · EI · PRO · SINGVLEIS · ANNVEIS · PROCEDERE · OPORTEAT · CVM · EO

(29) 103 QVOD · EI · LEGIBVS · PL · VE · SC · PROCEDERTOPORTEBIT · AVT EI . VOCATIO REI · MILITARIS · LEGIBVS · PL · VE · SC · EX · VE · FOEDERE

(30) 104 ERIT · QVO · CIRCA · EVM · INVITVM · MERERE · NON · OPORTEAT · NEVE · EVM · QVEI · PRAECONIVM · DISSIGNATIONEM · LIBITINANVE

(31) 105 FACIET · DVM · EORVM · QVID · FACIET · II · VIR · IIIF · VIR · QVEIVE · IBEI · MAG · SIT · RENVNTIATO · NEVE · INSENATVM · NEVE · INDE

rem partem sui cujusque anni fecerit, aut bina semestria, quae ei pro singulis annuis procedere oporteat, cum eo, quod ei legibus, plebisvescitis, procedere oportebit, aut ei vacatio rei militaris legibus, plebisvescitis, exve foedere erit, quocirca eum invitum merere non oporteat, neve eum, qui praeconium, dissignationem, libitinamve faciet, dum eorum quid faciet, duumvirum, quatuorvirum, quive ibi magistratus sit, renuntiato, neve in senatum, neve in

(32) 106 CVRIONVM · CONSCRIPTORVM ·
NVMERO · LEGITO · SVB · LECITO ·
COPTATO · NEVE · SENTENTIAM · RO-
CATO · NEVE · DICERE · NEVE
(33) 107 FERRE · IVBETO · SC · D · M ·
QVEI · AD · VERSVS · EA · FECERIT ·
IS · HS · Iↄↄↄ · P · D. D · ESTO · EIVS-
QVE · PECVNIAE · QVEI · VOLET ·
PETITIO · ESTO
(34) 108 QVAE · MVNICIPIA · COLONIA ·
PRAEFECTVRA · FORA · CONCILIA-
BVLA · C · R · SVNT · ERVNT · NEI-

decurionum, conscriptorum numerum legito, sublegito, cooptato, neve sententiam rogato, neve dicere, neve ferre jubeto, sciens, dolo malo. Qui adversus ea fecerit, is sestertios Dↄↄ populo dare damnas esto, ejusque pecuniae, qui volet, petitio esto.

Quae municipia, coloniae, praefecturae, fora, conciliabula Civium Romanorum sunt,

---

v. 106. NVMERO. Quamquam *legere in* cum ablativo non prorsus inusitatum sit in antiquis legibus, tamen propter antecedens: IN · SENATVN · non dubito restituere: NVMERVM.

v. 107. SC · D · M · *sciens, dolo malo.* MAZ.

QVIS · INEORVM · QVO · MVNICIPIO
(35) 109 COLONIA · PRAEFECTVRA · CONCILIABVLO · SENATV · DECVRIONIBVS · CONSCREIPTEISQVE · ESTO · NEVE · QVOE IBI · INEO · ORDINE
(36) 110 SENTENTEMTIAM · DEICERE · FERRE · LICETO · QVEI · FVRTEI · QVOD · ISPE · FECIT · FECERIT · CONDEMNATVS · PACTVSVE · EST · ERIT
(37) 111 QVEIVE · IVDICIO · FIDVCIO · PRO · SOCIO · TVTEIAE · MANDATEI · INIVRIARVM · DEVE · D · M · CONDEM-

erunt, ne quis in eorum quo municipio, colonia, praefectura, *foro*, conciliabulo, *in* senatu, decurionibus, conscriptisque esto, neve cui ibi in eo ordine sententiam dicere, ferre liceto, qui furti, quod ipse fecit, fecerit, condemnatus pactusve est, erit, quive judicio fiduciae, pro socio, tutelae, mandati, injuriarum, deve dolo

---

v. 109. PRAEFECTVRA. Deest post hanc vocem: FORO · sed propter v. 108 et 124. intercalandum est. cf. Comm.

Ibid. SENATV · leg. IN · SENATV · ut. v. 135.

v. 111. FIDVCIO · — FIDVCIAE. Maz. Nisi forte antiqua olim forma fuerit: *fiducium*.

NATVS · EST · ERIT · QVEIVELECE
(38) 112 PLAETORIA · OB · EAMVE · REM · QVOD · ADVERSVS · EAM · LECEM · FECET · FECERIT · CONDEMNATVS · EST · ERIT · QVEIVE · DEPVCNANDEI
(39) 113 CAVSSA · AVCTORATVS · EST · ERIT · FVIT · FVERIT · QVEIVE · IN-IVRE · AB · IVRAVERIT · BONAMVE ·

malo condemnatus est, erit, quive lege Plaetoria, ob eamve rem, quod adversus eam legem fecit, fecerit, condemnatus est, erit, quive depugnandi causa auctoratus est, erit, fuit, fuerit, quive in jure (*abjuravit*) abjuraverit,

---

v. 113. FVIT · FVERIT. Similis, omnia tempora deinceps complectens scribendi diligentia in leg. Gall. Cis. Col. II. v. 14. LEGE · DAMNATVS · ESSET · FVISSET. Et in leg. Servil. Glauc.: QVEI · TR · PL · — SIET · FVERITVE ·; QVEIQVE · IN · SENATV · SIET · FVERITVE · QVEIQVE · MERCATOR · SIET · FVERITVE · caet.

Ibid. ABIVRAVERIT. Sculptoris vitio ante ABIVRAVERIT vocem: ABIVRAVIT · omissam esse, suspicor. Sic enim per totam periodum praesens et perfectum cum futuro cumulantur cff. v. 11.-123.

COPIAM · IVRAVIT · IVRAVERIT · QVEI

(40) 114 SPONSORIBVS · CREDITORIBVS-VE · SVEIS · RENVNTIAVIT · RENVN-TIAVERIT · SE · SOLDVM · SOLVERE · NONPOSSE · AVT · CVM · EIS

(41) 115 PACTVS · EST · ERIT · SE · SOL-DVM · SOLVERE · NON · POSSE · PRO-VE · QVO · DATVM · DEPENSVM · EST · ERIT · QVOIVSVE · BONA · EX · EDI-CTO

(42) 116 EIVS · QVID · PRAEFVIT · PRAE-FVERIT · PRAETERQVAM · SEI · QVO-

bonamve copiam juravit, juraverit, qui sponsoribus creditoribusve suis renuntiavit, renuntiaverit, se solidum solvere non posse, aut cum eis pactus est, erit, se solidum solvere non posse, prove quo datum, depensum est, erit, cujusque bona ex edicto ejus, qui juri dicundo praefuit, praefuerit, praeterquam si cu-

---

v. 114. SOLDVM · pro: SOLIDVM · ut v. 115.

v. 115. PROVE · QVO. Voculam VE ejiciendam esse Maz. censet; quod verba: *pro quo datum, depensum est, erit* ad antecedentia pertineant. cf. Comm. ad h. v.

v. 116. QVID · PRAEFVIT · pro: QVI · I · D ·

IVS · QVOM · PVPILLVS · ESSET · REIVE · PVBLICAE · CAVSSA · AB-
ESSET

(43) 117 NEQVE · D · M · FECIT · FECERIT · QVO · MACIS · R · P · C · A · POSSES-

jus, quum pupillus esset, reive publicae causa abesset, neque dolo malo (fecit?), fecerit, quo magis reipublicae causa abesset (sc. possessa

---

PRAF · caet. i. e. *qui juri dicundo* (in nonnullis antiquis legibus ita: *jure dicundo*) *praefuit* caet. In leg. de Gall. Cis. Col. II. v. 43. ita notis expressum: QVEI · DE · IEIS · REBVS · ROMAE · I · D · P · ESSET · ubi P · pro PRAE. Sed ejusdem legis Col. II. v. 48. hae notae reperiuntur: QVEI · I · D · P · PRAEESSE · ubi, ut videtur, littera P · prorsus redundante et a negligenti sculptore adjecta, pro: PRAEESSE legendum est: PRAEESSET.

v. 117. FECIT · FECERIT. Locum etsi corrigere non ausim, tamen vocem: FECIT · delendam esse eoque facilius irrepsisse, suspicor, quod in antecedentibus pluries occurreret: FECIT · FECERIT v. 110 et 112. Primo enim QVVM, ut in ESSET · — ABESSET · reperitur, ita hic quoque conjunctivum flagitat. Deinde perfectum cum futuro junctum hoc loco minus aptum videtur, nec verbis: ESSET · — ABESSET · futurum adjectum est. Forsan igitur haec genuina esset lectio: NEQVE · DOLO · MALO · *fecerit* · QVO · MAG · caet.

SA · PROSCRIPTAVE · SVNT · ERVNT ·
QVEIVE · IVDICIO · PVBLICO · ROMAE
(44) 118 CONDEMNATVS · EST · ERIT ·
QVO · CIRCA · EVM · IN ITALIA · ES-
SE NON · LICEAT · NEQVE · ININ-
TEGRVM · RESTITVS · EST · ERIT ·
QVEIVE · INEO
(45) 119 MVNICIPIO : COLONIA · PRAE-

proscriptave sint) possessa proscriptave sunt, erunt, quive judicio publico Romae condemnatus est, erit, quocirca eum in Italia esse non liceat, neque in integrum restitutus est, erit, quive in eo municipio, colonia, praefectura,

---

Ibid. POSSESSA · PROSCRIPTAVE · SVNT. Haec verba quodammodo bis intelligenda sunt; licet enim ad verba QVOIVSQVE · BONA caet. pertineant, tamen in exceptionibus additis: PRAETERQVAM · — QVO · MAGIS · R · P · C · A · eadem suppleamus, necesse est.

v. 118. QVOCIRCA. Haec vox solennis videtur, ad poenam, quae condemnationem sequebatur, declarandam ut in leg. SERV. GLAUC. QVEI · QVAESTIONE · IVDICIOVE · PVBLICO · CONDEMNATVS · SIET · QVODCIRCA · EVM · IN · SENATVM · LEGI · NON · LICEAT.

FECTVRA · FORO · CONCILIABVLO · QVOIVS · ERIT · IVDICIO PVBLICO · CONDEMNATVS · EST · ERIT · QVEMVE

(46). K · PRAEVARICATIONIS · CAVSSA · ACCVSSASSE · FECISSEVE · QVOD · IVDICATVM · EST · ERIT · QVOIVE · APVT · EXERCITVM · INONOMINIAE

foro, conciliabulo, cujus erit, judicio publico condemnatus est, erit, quemve calumniae, praevaricationis causa accusasse fecisseve quod, judicatum est, erit, cuive apud exercitum igno-

---

v. 120. K · PRAEVARICATIONIS · i. e. *kalumniae · praev.* leg. Gall. Cis. Col. I. v. 9. K. K. pro: *calumniae · causa.* Minus, ut mihi videtur, apte propter edicti verba fr. 1. D. III, 2. "*calumniae praevaricationisVE causa, quid fecisse judicatus erit*" Mazochius voculam VE, in nostra quoque tabula, voci: PRAEVARICATIONIS · annectendam censuit. Ejusmodi enim vocabula saepissime in antiquis scriptionibus sine copula occurrunt ut v. 159. CREATVM · RENVNTIATVM. Itaque facilius, in edictum illud *ve* paullatim irrepsis se, crediderim.

Ibid. INONOMINIAE · pro: IGNOMINIAE. Maz.

(47) 121 CAVSSA · ORDO · ADEMPTVS · EST · ERIT · QVEMVE · IMPERATOR · INCNOMINIAE · CAVSSA · AB · EXEBCITV · DECEDERE · IVSET · IVSERIT

(48) 122 QVEIVE · OB · CAPVT · C · R · REFERVNDVM · PECVNIAM · PRAEMIVM · ALIVDVE · QVID · CEPIT · CEPERIT · QVEIVE · CORPORI · QVAESTVM

(49) 123 FECIT · FECERIT · QVEIVE · LANISTATVRAM ARTEMVE LVDICAM FECIT FECERIT · QVEIVE · LENOCINIVM · FACIET · QVEI

(50) 124 ADVERSVS · EA · INMVNICIPIO COLONIA PRAEFECTVRAVE FORO

miniae causa ordo ademtus est, erit, quemve imperator ignominiae causa ab exercitu decedere jussit, jusserit, quive ob caput civis Romani deferundum, pecuniam, praemium, aliudve quid cepit, ceperit, quive corpore quaestum fecit, fecerit, quive lanistaturam, artemve ludicram fecit, fecerit, quive lenocinium faciet. Qui adversus ea in municipio, colonia, prae-

---

v. 122. REFERVNDVM · fortasse legendum: DEFERVNDVM. cf Comm.

v. 123. LVDICAM · pro: LVDICRAM. Maz.

CONCILIABVLO DECVRIONIBVS CON-
SCRIPTEISVE EVERIT

(51) 125 SENTEMTIAMVE · DIXERIT · IS
HS · Iↄↄↄ · P · D · D · ESTO · EIVSQVE ·
PECVNIAE · QVEI · VOLET · PETITIO ·
ESTO .

(52) 126 QVOI · H · L · INMVNICIPIO · CO-
LONIA · PRAEFECTVRA · FORO · CON-
CILIABVLO · SENATOREM · DECVRIO-
NEM · CONSCRIPTVM · ESSE

(53) 127 INQVE · EO ORDINE · SENTEM-
TIAM · DICERE · FERRE NONLICEBIT
NEIQVIS QVEI · INEO · MVNICIPIO ·
COLONIA · PRAEEECTVRA

(54) 128 FORO · CONCILIABVLO · SENA-
TVM · DECVRIONES · CONSCRIPTOS ·

fectura, foro, conciliabulo (in) decurionibus conscriptisve fuerit, sententiamve dixerit, is sestertios DↃↃ populo dare damnas esto, ejusque pecuniae, qui volet, petitio esto.

Cui hac lege in municipio, colonia, praefectura, foro, conciliabulo senatorem, decurionem, conscriptum esse, inque eo ordine sententiam dicere, ferre non licebit, ne quis, qui in eo municipio, colonia, praefectura, foro, conciliabulo senatum, decuriones, conscriptos

HABEBIT · EVM · INSENATVM · DECV-
RIONES · CONSCRIPTOS ·
(55) 129 IRE · IVBETO · SC · D · M · NEVE ·
EVM · IBEI · SENTEMTIAM ROGATO
NEIVEDICERE NEIVE FERRE IVBETO
S C D M NEVEQVISQVE
(56) 130 INEO · MVNICIPIO · COLONIA ·
PRAEFECTVRA · FORO CONCILIABV-
LO SVFRAGIO EORVM MAXVMAM
POTESTATEM HABEBIT
(57) 131 EORVM QVEM IBEI INSENATVM
DECVRIONES CONSCRIPTOS · IRE
NEVE INEO NVMERO ESSE NIVE SEN-
TEMTIAM IBEI · DICERE
(58) 132 FERREVE · SINITO · SC · D · M ·

habebit, eum in senatum, decuriones, conscriptos ire jubeto sciens, dolo malo, neve eum ibi sententiam rogato, neve dicere, neve ferre jubeto, sciens, dolo malo, neve quis, qui in eo municipio, colonia, praefectura, foro, conciliabulo, suffragio eorum maximam potestatem habebit, eorum quem ibi in senatum, decuriones, conscriptos, ire, neve in eo numero esse, neve sententiam ibi dicere ferreve sinito sciens,

v. 132. NEVE · QVIS · EIVS · — RENVNTIATO. Locum manifesto corruptum Maz. ita re-

NEVE · QVIS · EIVS · RATIONEM · CO-
MITIEIS · CONCILIOVE · CREATVM ·
EST · RENVNTIATO · NEVE · QVIS
(59) 133 QVEI · IBEI · MAG · POTESTA-
TEMVE · HABEBIT · EVM · CVM · SE-
NATV · DECVRIONIBVS · CONSCRIPTES ·
SPECTARE · NEIVE · IN · CONVIVIO
(60) 134 PVBLICO ESSE SINETO SC D M
(61) 135 QVIBVS · H · L · INMVNICIPIO ·

dolo malo, neve quis ejus rationem comitiis conciliove (habeto, neve?) creatum est, renunciato, neve quis, qui ibi magistratum potestatemve habebit, eum cum senatu, decurionibus, conscriptis spectare, neve in convivio publico esse sinito sciens, dolo malo.

Quibus hac lege in municipio, colonia,

---

stituit: ut post: RATIONEM · suppletis: *habeto · neve ·* pro: CREATVM · EST; legat: CREATVS · EST; ita ut haec verba sint ipsa renunciantis: *creatus est.* Gravis sane gravis morbi medela. Nam et ellipsis illa valde dura et verborum: *cratus est.* interpretatio. Sed meliorem non invenio.

v. 135. QVIS · QVEI. Maz. restituit: QVISQVE · idque pro: *quisquis.* Sed nihil immutandum videtur. Eodem enim modo v. 127.

COLONIA · PRAEFECTVRA · FORO
CONCILIABVLO · INSINATVM · DICV-
RIONIBVS CONSCRIPTEIS ESSE
(62) 136 NON · LICEBIT · NIQVIS · EORVM ·
INMVNICIPIO · COLONIA · PRAEFE-
CTVRA · FORO · CONCILIABVLO · II ·
VIR · IIII · VIR · ALIAMVE
(63) 137 QVAM · POTESTATEM · EXQVO ·
HONORE · IN · EVM · ORDINEM · PER-
VENIAT · PETITO · NEVE · CAPITO ·
NEVE · QVIS · EORVM · LVDEIS
(64) 138 CVMVE · GLADIATORES · IBEI ·
PVCNABVNT · INLOCO · SENATORIO ·
DECVRIONVM · CONSCRIPTORVM ·
SEDITO · NEVE · SPECTATO
(65) 139 NEVE · CONVIVIVM · PVBLICVM ·

praefectura, foro, conciliabulo, in senatu, decurionibus, conscriptis esse non licebit, ne quis eorum in municipio, colonia, praefectura, foro, conciliabulo duumviratum, quatuorviratum, aliamve quam potestatem, ex quo honore in eum ordinem perveniat, petito, neve capito, neve quis eorum ludis, cumve gladiatores ibi pugnabunt, in loco senatorio, decurionum, conscriptorum sedeto, neve spectato, neve convi-

v. 139. PVBLICVM · IS · INITO. Recte Maz.

IS · INITO · NEIVE · QVIS · QVEI · AD-
VERSVS · EA · CREATVM · RENVN-
TIATVM · ERIT · IBEI · II · VIR · IIII ·
VIR
(66) 140 ESTO · NEVE · IBEI · MAG · PO-
TESTATEMVE · HABETO · QVIF · AD-
VERSVS · EA · FECERIT · IS · HS · Iↄↄↄ.
P · D · D · ESTO · EIVSQVE · PECVNIAE ·
QVEI
(67) 141 VOLET · PETITIO · ESTO ·
(68) 142 QVAE · MVNICIPIA · COLONIAE ·
PRAEFECTVRAE · C · R · IN · ITALIA ·

vium publicum cum iis inito, neve quis, qui adversus ea creatus, renuntiatus erit, ibi duumvir, quatuorvir esto, neve ibi magistratum potestatemve habeto. Qui adversus ea fecerit, is sestertios DↃↃ populo dare damnas esto, ejusque pecuniae, qui volet, petitio esto.

Quae municipia, coloniae, praefecturae, ci-

---

ita restituit: PVBLICVM · (repetita ultima syllaba) CVM · IIS · (pro: IS ·) INITO.

Ibid. CREATVM · RENVNTIATVM. Aut Mazochio suadente, legendum: QVEM · (pro: QVEI ·) ADVERSVS · EA · CREATVM · (sc. esse) RENVNTIATVM · ERIT · aut forsan: QVEI · — CREATVS · RENVNTIATVS · ERIT.

SVNT · ERVNT · QVEI · INEIS · MVNI-
CIPIEIS COLONEIS
(69) 143 PRAEFECTVREIS · MAXIMVM ·
MAG · MAXIMVMVE POTESTATEM ·
IBEI · HABIBIT · TVM · CVM · CEN-
SOR · ALIVSVE
(70) 144 QVIS · MAG · ROMAE · POPVLI ·
CENSVM · AGET · IS · DIEBVS · LX ·
PROXVMEIS · QVIBVS · SCIET · RO-
MAI · CINSVM POPVLI
(71) 145 AGI · OMNIVM · MVNICIPIVM ·
COLONORVM · SVORVM · QVEIQVE ·

vium Romanorum in Italia sunt, erunt, qui in iis municipiis, coloniis, praefecturis maximum magistratum, maximamve potestatem ibi habebit, tum quum Censor, aliusve quis magistratus Romae populi censum aget, is diebus sexaginta proxumis, quibus sciet Romae censum populi agi, omnium municipum, colonorum

---

v. 143. IBEI. Ingens pleonasmus: IN MVNICIPIO · caet. — *ibei.* Illud *ibei* saepissime redundat in antiquis legibus, ut in hac tabula et in leg. de Gall. Cis. Col. II. v. 24. bis.

v. 145. MVNICIPIVM · pro: MVNICIPVM · sic v. 160. pro: MVNICIPEIS · s. MVNICIPES · legitur: MVNICIPIEIS.

EIVS · PRAEFECTVRAE ERVNT · Q ·
C · R · ERVNT · CENSVM
(72) 146 AGVNTO · EORVMQVE · NOMINA ·
PRAENOMINA · PATRES · AVT · PA-
TRONOS · TRIBVS · COCNOMINA ·
ET · QVOT · ANNOS
(73) 147 QVISQVE · EORVM · HABET · ET ·
RATIONEM · PECVNIAE EX · FOR-
MVLA · CENSVS · QVAE · ROMAE ·
ABEO . QVI · TVM · CENSVM
(74) 148 POPVLI · ACTVRVS · ERIT · PRO ·
POSITA · ERIT · ARIEIS · IVRATEIS ·
ACCIPITO · EAQVE · OMNIA · INTA-
BVLAS · PVBLICAS · SVI

suorum, quique ejus praefecturae erunt, qui cives Romani erunt, censum agito, eorumque nomina, praenomina, patres aut patronos, tribus, cognomina, et quot annos quisque habet, et rationem pecuniae, ex formula census, quae Romae ab eo, qui tum censum populi acturus erit, proposita erit, ab iis juratis accipito, eaque omnia in tabulas publicas sui municipii re-

v. 146. AGVNTO · pro: AGITO · MAZ. ut v. 148 et 149. ACCIPITO · — CVRATO. cf. not. ad v. 18.

v. 148. ARIEIS · pro: AB · IEIS.

(75) 149 MVNICIPI · REFERVNDA · CVRATO · EOSQVE · LIBROS · PER · LEGATOS · QVOS · MAIOR · PARS · DECVRIONVM · CONSCRIPTORVM

(76) 150 ADEAM · REM · LEGAREI · MITTEI · CINSVERINT · TVM · CVM · EAS · PIS · CONSVLERETVR · ADEOS · QVEI · ROMAE · CINSVM · AGENT

(77) 151 MITTITO · CVRATO · QVE · VTEI · QVOM · AMPLIVS · DIES · LX · RELI-

ferunda curato, eosque libros per legatos, quos major pars decurionum, conscriptorum, ad eam rem legari, mitti censuerint, tum cum ea res consuleretur, ad eos, qui Romae censum agent, mittito curatoque, uti quum amplius dies sexa-

---

v. 150. EAS · RES · pro: EA · RES. Sic in SCto de Bacchan. v. 5, 6 et 12. QVOM · EA · RES · CONSOLERETVR · Maz.

v. 151. RELIQVEI · ERVNT · ANTE · QVAM · DIEM. Neque RELIQVEI in *reliquae*, neque QVAM in *quem* corrigendum. Sic enim hujus vocis genus haud raro in eadem periodo variat. In fragm. legis incertae ap. Brisson. de form. p. 143: VBEI · EA · DIES · VENERIT · QVO · DIE · IVSSEI · caet. Liv. XXXIV. c. 34. *et ut ex ea die, intra decimum diem.*

QVEI · ERVNT · ANTEQVAM · DIEM ·
EI · QVEIQVOMQVE · ROMAE
(78) 152 CENSVM · AGEI · FINEM · POPV-
LI · CESENDI · FACIANT · EOS · AD-
EAM · LIBROSQVE · EIVS · MVNICIPI ·
COLONIAE · PRAEFECTVRAE

ginta reliqui erunt, antequam diem ii, quicunque Romae censum agent, finem populi censendi facient, eos adeant, librosque ejus municipii, coloniae, praefecturae edant; isque

---

v. 152. AGEI · pro: AGENT · v. 150. Maz. — Similiter in leg. de Gall. Cis. Col. I. v. 15. VTEI · DAMNEI ·: INFECTEI · REPROMISSIO ·. SATISVEDATIO · FIEREI · PVSTVLATVM · ERIT · ubi rectissime V. Cl. Hugo (Civ. Mag. tom. II. p. 41c.) restituit: FIERET.

v. 152. FACIANT. Totius orationis in hac lege color futurum flagitare videtur; itaque non dubito restituere FACIENT · quod propter insequens: ADEANT · facile poterat corrumpi. Atque hic locus ad similem leg. Gall. Cis. Col. I. v. 43. corrigendum monet. DVM · IIVIR · caet. CVRET · VT ·. EI · (aut pro: VTEI · aut: VT · ET ·) EA · NOMINA · ET · MVNICIPIVM · COLONIA · LOCVS · IN · EO · IVDICIO · QVOD · EX · IEIS . QVAE · PROXSVME · S · S · (scripta sunt) ACCIPIANTVR · INCLVDANTVR · CONCIPIANTVR · QVAE · INCLVDEI : CONCIPEI : S · D · M ·

(79) 153 EDANT · ISQVE · CENSOR · SEIVE · QVIS · ALIVS · MAG · CENSVM · POPVLI · AGET · DIEBVS · V · PROXVMEIS · QVIBVS · LEGATEI · EIVS

(80) 154 MVNICIPI · COLONIAE · PRAEFECTVRAE · ADIERINT · EOS · LIBROS · CENSVS · QVEI · ABIEIS · LEGATEIS · DABVNTVR · ACCIPITO

(81) 155 S · D · M · EXQVE · IEIS · LIBREIS · QVAE · IBEI · SCRIPTA · ERVNT · IN TABVLAS · PVBLICAS · REFERVNDA ·

censor, sive quis alius magistratus censum populi aget, diebus quinque proxumis, quibus legati ejus municipii, coloniae, praefecturae adierint, eos libros census, qui ab iis legatis dabuntur, accipito sine dolo malo, exque iis libris, quae ibi scripta erunt, in tabulas pu-

---

OPORTEBIT. Deest manifesto verbum, quod verbis: *iudicio · quod ·* caet. respondeat. Itaque legendum videtur: ACCIPIETVR · INCLVDANTVR · CONCIPIANTVR. Nam in sequentibus: QVAE · INCL. — OPORTEBIT · vox ACCIPI · non repetita est; unde apparet, eam non tam ad: NOMINA · caet. quam ad: IVDICIVM · pertinere. Deinde v. 47 et 48, non modo: ACCIPIETVR · conjungitur cum: IVDICIVM · sed etiam INCLVDEI · CONCIPEI · separata sunt.

CVRATO · EASQVE · TABVLAS
(82) 156 EODEM · LOCO · VBEI · CETE-
RAE · TABVLAE · PVBLICAE · ERVNT·
INQVIBVS · CENSVS · POPVLI · PER-
SCRIPTVS · ERIT · CONDENDA · CV-
RATO
(83) 157 QVI · PLVRIBVS · INMVNICIPIEIS·
COLONEIS · PRAEFECTVREIS · DO-
MICILIVM · HABEBIT · ET · IS · RO-
MAE · CENSVS · ERIT · QVO · MAGIS
(84) 158 INMVNICIPIO · COLONIA · PRAE-

blicas referunda curato, easque tabulas eodem loco, ubi ceterae tabulae publicae erunt, in quibus census populi perscriptus erit, condendas curato. Qui pluribus in municipiis, coloniis, praefecturis domicilium habebit, et is Romae census erit, quo magis in municipio, co-

v. 156. CONDENDA · legendum videtur: CONDENDAS; errore forsan ex praecedenti: REFERVNDA v. 155. nato. Quamquam ejusmodi in antiquis legibus scribendis negligentia, interdum reperitur, ut in lege SERVIL. GLAUCIA: QVEI · EX · H · L · CDL VIREI · IN · EVM · ANNVM · LECTEI · ERVNT · EA · NOMINA · OMNIA · IN · TABVLA · IN · ALBO · ATRAMENTO · SCRIPTOS · — DESCRIPTOS · HABETO.

FECTVRA · H · L · CENSEATVR · E · H ·
L · N · R ·
(85) 159 QVEI · LEGE · PL VE · SC · PER-
MISSVS EST · EVIT · VTEI · LEGES ·
INMVNICIPIO · FVNDANO · MVNICIPI-
BVSVE · EIVS · MVNICIPI · DARET
(86) 160 SEIQVIS · IS · POST · H · L · R · INEO·
ANNO · PROXVMO · QVO · H · L · PO-
PVLVS · IVSERIT · ADEAS · LEGES ·
MVNICIPIEIS · FVNDANOS

lonia, praefectura, hac lege censeatur, eorum hac lege nihil rogatur.

Qui lege plebisvescito, permissus est, fuit, uti leges in municipio fundano, municipibusve ejus municipii daret, si quid is post hanc legem rogatam, in eo anno proxumo, quo hanc legem populus jusserit, ad eas leges *addiderit, commutaverit, correxerit,* municipes fundanos

---

v. 159. EST · EVIT · legendum est: EST · FVIT · Maz. nam *erit*, quae correctio non minus facilis, propter insequens: DARET · non prorsus quadrat. Eandem ob causam in leg. de Gall. Cis. Col. I. v. 15. corrigendum est: ERIT · in: ERAT · ob antecedens: FIERET.

v. 160. SEI · QVIS · IS. Quamquam hanc monstrosam paene lectionem Maz. defendit, tamen malim levissima mutatione restituere ita: SEI · QVID ·

(87) 161 ITEM · TENETO VTEI · OPORTERET · SEI · EAIRES · AB EO TVM · QVOM · PRIMVM · LEGES · EIS · MVNICIPIBVS · LEGE · PL · VE · SC · DEDIT

(88) 162 ADEAS · LECES · ADDITAE · COMMVTATAE · CONRECTAE · ESSENT · NEVE · QVIS · INTERCEDETO · NEVE · QVID · FACITO · QVOMINVS

item teneto, uti oporteret, si eae res ab eo tum, quum primum leges iis municipibus lege plebisvescito dedit, ad eas leges additae, commutatae, correctae essent, neve quis intercedito, neve quid facito, quo minus ea rata sint,

---

IS · quod et magis verbis: SEI · EAE · RES · v. 161. respondet, et: ITEM · TENETO · quae ultima MAZ. ad *eum, qui permissus est leges dare* minus recte referenda censet. Nec enim tam legislator, quam lex ipsa, quam fert, homines tenere dicitur.

Ibid. EAS · LEGES. Recte a MAZOCHIO ex v. 162. verba: ADDIDERIT · COMMVTAVERIT · CORREXERIT · restituta sunt, quum sculptoris negligentia exciderint.

Ibid. MVNICIPIEIS · lege MVNICIPEIS · i. e. *municipes.*

v. 162. NEVE · QVIS. Plane similis est locus leg. de Gall. Cis. Col. I. v. 52. NEIVE : QVIS · ....

(89) 165 EA RATA · SINT · QVOVEMINVS · MVNICIPIS · FVNDANOS · TENEAT; EISQVE · OPTEMPERETVR ·

quove minus municipes fundanos teneant, iis-que obtemperetur.

INTERCEDITO · NEIVE · QVID · ALIVD · FACITO · QVO · MINVS · caet. Usitata in legibus promulgandis formula fuisse videtur.

v. 165. TENEAT. Ut videtur pro: TENEANT · sc. *quae res commutatae erunt*. Nolim enim cum Mazochio TENEAT · referre ad legislatorem s. correctorem. cf. not. ad v. 160. verba: SEI · QVIS.

DE

LEGIS AETATE, CAUSA ET ARGUMENTO CONJECTURAE.

Duas potissimum de legis, quae jam exhibita est, aetate sententias inter se discrepantes exstare invenio, Conradianam alteram, alteram a MAZOCHIO profectam. In quibus recensendis, ubi minorem CONRADIO habendam esse fidem apparebit, hoc non tam incuriae, quam temporis iniquitati, qua non nisi priorem eamque minorem totius fragmenti partem notam habuit atque compertam, tribuendum erit. Ad prima enim tempora, quae C. SEMPR. GRACCHI obitum sequebantur, legis originem CONRADIUS [1]) referens, quibus temporibus statae et perpetuae menstrui frumenti largitioni modum quaesitum esse, auctor nobis est APPIANUS [2]), quibusque PLUTARCHO [3]) teste, leges de viis muniendis,

[1]) Parerg. l. l. p. 377-379.

[2]) De bello civ. lib. 1. p. 562. (ed. Stephan.).

[3]) In GRACCHIS p. 837. (Francof. MDCXX.).

earumque curatione a C. SEMPR. GRACCHO latae vigebant, non leve quiddam exilisque ponderis attulisse videtur. Nostra enim lege et modus imponitur frumenti largitioni [4]) et viarum cura habetur diligentissima [5]).

Verum in ea aeris parte, quae postea inventa MAZOCHII studio in lucem prodiit, ea occurrunt momenta, quibus ab illa sententia prorsus recedere cogamur. Quum enim a v. 83. usque ad fragmenti finem in municipiis, coloniis, praefecturis, foris, conciliabulis *civium romanorum* ordinandis tota versetur tabula, et seriorem eam esse primis post GRACCHUM temporibus, et aliam ipsius ferendae fuisse occasionem, non potest esse obscurum. Ac non prius quam finito bello Italico s. sociali, per leges JULIAM (a. u. 663) et PLOTIAM (a. u. 664) socios civitate donatos esse, tum ex multis aliis, tum ex CICERONE satis constat [6]).

Qua re hoc temporis puncto, quod in nostrae tabulae aetate indaganda, retro descen-

---

[4]) v. 1-20.

[5]) v. 20-82.

[6]) pr. BALBO c. 8. *ipsa denique* JULIA, *qua lege civitas est sociis et latinis data* caet.

denti transgredi non licebit, constituto, ex ipsius legis argumento, cui potissimum certo anno eam tribuamus, inquirentes, non mediocribus offendimur difficultatibus; quia in toto aere nullum legis nomen, vixque aliud historiae momentum, ex quo res judicari queat, reperitur. Quod tamen MAZOCHIUS reperisse sibi videtur.

Haec enim ipsius est sententia [7]): nostram legem paullo (anno vel biennio) post legem JULIAM vel PLOTIAM, ita latam esse, ut earum alterutri tamquam sequela necessaria, appendixque accederet. Illas enim ipsas nostro aere leges comprehendi [8]), in quas municipiorum populos eo tempore fundos fieri oporteret, si civitatem Romanam adipisci vellent [9]). Quinetiam legem JULIAM *municipalem* appellare non dubitat. Causam, qua haec sententia nitatur, in ultimo fragmenti capite, ubi de municipio fundano, municipibusque fundanis agitur, haud dubiam inesse censet. *Populos* enim

[7]) Cf. MAZ. Com. p. 582. 488-489.

[8]) MAZ. Com. p. 489. et passim.

[9]) CIC. pr. BALBO c. 8.: .. *qui fundi populi facti non essent, civitatem non haberent.*

solos apud CICERONEM, GELLIUM et FESTUM *fundos fieri;* municipia autem dici solita esse *fundana*, i. e. quorum populi *fundi facti essent.* Huic autem conjecturae, mera enim est conjectura, quantopere et vocis hujus significatio, et totius tabulae ratio atque argumentum repugnet, ex ultimi capitis commentario, hoc loco praecipiendum est. Ac primo quidem vox: *fundus* etsi in lege JULIA occurrit pro *auctore*, eoque qui *consentit* [1]); tamen qui *fundanum* interpretaretur eum, qui *fundus factus sit*, praeter MAZOCHIUM nemo inventus est; nec in ullo antiquo scriptore hujus significationis reperiuntur vestigia. Ipsa autem tam subtilis distinctio inter *fundum* et *fundanum* FESTI definitione prorsus evertitur: *fundus dicitur populus* ESSE (non: *fieri*) *rei* caet. Quid? quod et municipium Fundanum et municipes Fundani saepissime quidem occurrunt, verum non ex MAZOCHII interpretatione, sed pro municipio *Fundorum* (Latii oppidi) et ejusdem oppidi municipibus [2])? Deinde municipiorum po-

---

[1]) GELLIUS N. A. XIX, 8. *fundus subscriptorque* et FESTUS h. v. *fundus dicitur populus esse rei, quam alienat, id est: auctor.*

[2]) LIVIUS XXXVIII. c. 56. CIC. Agrar. II. c. 25. et saepissime.

pulos in ea fundos fieri oportuisse, quae de frumenti datione, de viarum Romae locorumque publicorum cura populus romanus sanxerat, qua tandem ratione credi potest? Atque de his non modo a fragmenti initio iisque ad v. 83. agitur, sed etiam multa alia, iisdem de rebus, in deperditis tabulae laminis comprehensa fuisse, ex superstitis laminae primis versibus manifesto perspicitur. Quae autem ad ipsa municipia pertinent, a v. 83 - v. 159. (exinde enim ad singulum municipium Fundanum legis verba se convertunt,) ea tum valde sunt pauca, tum saepe tam minuta, v. c. *ne, quibus in senatu esse non licet, in senatorio loco spectent*, caet. [3]) ut populos quosdam, se in tales leges fundos fore, negasse [4]), mirum certe videatur. Porro quum inde a v. 159. municipium municipesque numquam fere commemorentur, nisi additis vocibus: *fundanum, fundani*; a v. 83 - 159. ubi id praetermitti prorsus non poterat, nullo ne levissimo quidem vestigio, populos in eam legis partem fundos

---

[3]) v. 133 et 138.

[4]) Cic. pr. Balbo c. 8. *in quo magna contentio Heracleensium et Neapolitanorum fuit, cum magna pars in iis civitatibus foederis sui libertatem civitati anteferret.*

fieri oportere, indicatur. Tum coloniarum populi, quo tandem modo fundi fieri potuerint, non video, quum semper legibus romanis adstricti fuerint [5]). Denique ex municipiis, coloniis, praefecturis, foris, conciliabulis, solum v. 159 sqq. municipium fundanum, reliquis omissis, nominatur.

Atque haec satis contra MAZOCHII sententiam; quam tamen facilius videtur refellere, quam in re tam dubia meliorem proferre et probabiliorem. Praeter civium Romanorum in municipiis Italiae commemorationem, aliud adhuc in aere nostro historiae momentum occurrit, quo nisi accurate legis aetatem, tamen id quod ultra, in ea quaerenda, tempus transgredi non licet, constituitur. Constat autem [6]), ante POMPEJUM Magnum omnia Romae theatra subitaria fuisse et ad tempus modo exstructa; ab eoque anno urbis 689 primum theatrum statum mansurumque conditum esse, testis est TACITUS [7]). Quae enim ante eum

---

[5]) GELLIUS N. A. XVI, 13. "*Coloniae — jura institutaque omnia populi romani, non sui arbitrii habent.*"

[6]) Vid. Com. ad v. 77-79.

[7]) Annal. XIV. c. 20.

stata theatra condi coepta dicuntur, ea ex SCtis mox diruta sunt. Jam ex tabula quoniam theatra eo tempore adhuc fuisse subitaria, satis apparet [8]), ante annum 689 legem nostram latam esse, non temere conjicere videmur. Eorum vero annorum, intra a. u. 663 et 689 cui prae ceteris legem tribuamus, constituere non ausim. Id tantum non sine causa disputari potest, legis aetatem magis ad annum 663 vergere videri, quod de censu agendo cautum sit. Urgebat enim res statim post legem JULIAM latam; ita ut, ne omnis census ratio perturbaretur, diligentiori in municipiis census agendi descriptione opus esset; quam in aere [9]) reperimus. Cavendum autem est, ne verba quaedam CICERONIS [1]) ad nostram tabulam pertinere, suspicemur; haec enim non de Italiae sed de Hispaniae muni-

---

[8]) v. 77 - 79. *ludorum causa scenam — in loco publico ponere, iisque diebus, quibus eos faciet, loco publico utei liceat* caet.

[9]) v. 142 - 158.

[1]) In epist. ad fam. VI. ep. 18. *eos qui facerent praeconium, vetari esse in decurionibus, qui fecissent, non vetari.* Collat. cum tab. v. 94 et 105.

cipiis, quibus a CAESARE leges dabantur, dicta sunt.

Difficilior adhuc de legis argumento et occasione disquisitio. Leges per saturam ferre, quibus varia capita continebantur, olim per legem CAECILIAM et DIDIAM non licebat. Quot autem res, quamque varias et dissimiles tabula nostra complectitur? Nisi forte hoc tantum lege CAECILIA et DIDIA cautum dicamus, ne *eadem rogatione* complures res conjunctim populo proponerentur; licuisse per eandem legem CAECILIAM et DIDIAM varias res una eademque lege comprehendere, dummodo singula capita seorsim rogarentur [2]). Ac libenter, hac aeris latina inscriptione unam tantummodo legem contineri, negarem, priorem tabulae partem ab Heracleensibus adscitam esse ex Romana aliqua lege, (quod licuisse populis fundis CICERO testatur [3]),) nec, ut

[2]) CIC. pr. Domo. c. 19. fin. *quid? si etiam pluribus de rebus uno sortitu retulisti?* c. 20. *quae est, quaeso, alia vis, quae sententia CAECILIAE legis et DIDIAE, nisi haec, ne populo necesse sit in conjunctis rebus compluribus, aut id, quod nolit, accipere, aut id quod velit, repudiare?*

[3]) pr. BALBO c. 8. *Cum aliquid populus Roma-*

psephisma graecum de agro Dionysiaco in aeris parte adversa, cum sanctione de municipiis, ni si loci, in quo scripta est, communione cohaerere crederem; nisi in aere utraque scriptura sine ulla fere spatii intercapedine rubrove conjuncta esset. Haud dubie enim et nomen legis, et rogationis tempus, in ipsius exordio appareret. Sed hoc, qualecunque sit, quid Heracleenses (hi enim quasi suo jure cum propter inventionis locum, tum propter nomen Heracleae [4]) et Heracleensium, graeco psephismati incisum, hanc tabulam sibi vindicare videntur [5]),) tot, quae Romam ipsam urbem tantummodo spectarent, sanctiones attinuerint, alia exoritur quaestio. Atque eodem modo has quoque sanctiones incidendas curaverunt, quo ultimam fragmenti partem de Fun-

---

nus jussit, id si est ejusmodi, ut quibusdam populis, sive foederatis, sive liberis permittendum esse videatur, ut statuant ipsi non de nostris sed de suis rebus, quo jure uti velint, tum utrum fundi facti sint, an non, quaerendum esse videatur. caet.

[4]) Heracleam Aetoliae, errore ductus CONRADIUS significari, aerisque ex hujus oppidi direptione Romam delati aversam partem latinae huic inscriptioni inservisse, suspicabatur.

[5]) Cf. Comm. ad v. 83.

dis, municipio Heracleae neque vicino neque alia ratione conjuncto; sive quod moris esset ne qua fraudis suspicio nasceretur, totam legem et integram proponere, sive quod Heracleenses, ut saepe factum est, ex iis, quae Romam urbem spectabant, aliquid adoptare voluerint. Rem ita MAZ. recte explicat p. 583.: "ut scirent municipes, quoties Romam ad „suffragia et petendos honores itarent, quid „sequendum esset, et uti suas leges, his de „rebus, illis Romanis conformarent."

Quae autem de ipsis municipiis, coloniis caet. hac lege comprehenduntur, ea, ut ante legem JULIAM saepissime singulis municipiis civitatibusque liberis, hoc tamquam beneficium et gratiam petentibus, a senatu populove Romano leges concessae scriptaeque sunt [6]), ita post legem JULIAM, omnibus una lege municipiis, coloniis, caet. praescripta esse, mirum esse non potest. Quamquam enim lege JULIA populis, qui fundi facti erant, minime

---

[6]) CIC. in VERR. act. 2. lib. II. c. 49. *non modo Siculorum nihil in hac re* (sc. decurionibus creandis) *valuisse leges, sed ne a senatu quidem populoque Romano datas.* c. 50. *Agrigentini de senatu cooptando* SCIPIONIS *leges antiquas habent.*

rerum libera administratio et respublica, ademta est (quod ex ipso hoc aere apparet), tamen quin talibus populi Romani legibus tenerentur, praesertim quum ipsis municipibus, utpote civibus Romanis, suffragium ferre liceret, non est dubium [7]). Accedit quod pleraque in tabulae lege vel olim a senatu populove Romano peti solita erant [8]). Ea autem, quae ad censum pertinent, talia sunt, quae, ne summa rerum confusio fieret, ab omnibus municipiis, coloniis caet. C. R. parimodo observanda essent. Atque hanc si quis legem municipalem dicere velit, non repugnabo. Qua de re, an lex quaedam fuerit de re municipali, universis civitatibus data, inter eruditos video non constare [9]).

---

7) Exemplum extat in lege de Gall. Cis. quam civibus romanis datam esse municipia commemorata et Mutina declarant. Col. I. v. 28. saep. Coll. II. v. 2. collat. cum Liv. XXXIX. c. 55.

8) Cf. not. praeced.

9) Ev. Otto Praef. ad thes. tom. II. p. 12.

COMMENTARIUS.

v. 1. QVEM · H · L · AD · COS · PROFITEREI · OPORTEBIT · caet.

Quod fragmenti initio de civium frumentationis causa professionibus agitur, id ut mutilum, quale fuerit quidque omnino complexum sit, difficile est dicere. In mediam enim rem ducimur statim v. 1., ita ut et quos et quae eos profiteri oportuerit, nonnisi conjectura assequi possimus, eaque eo magis vaga, quod hic recensus populi agendi mos, ut eorum, qui nihil accepturi essent, nomina tabulis incisa proponerentur, a JULIO CAESARE mutatus esse videtur [1]). Cujus mutati recensus ratio in eo fortasse inest, quod tribunorum plebis, leges hac de re ferentium, studio [2]) paullatim, ut non cuilibet ex populo, si petierit, sed egenis tantummodo frumentum tribueretur, effectum est. Ideoque CONR. non male egenos solos, exclusis ditioribus, quorum nomina tabulis inciderentur, frumenti factos esse participes, conjicit; quod et civium numero, ad quem CAESAR et AU-

---

1) SUETON CAES. c. 4. DIO CASS. lib. XLI. SENECA benefic. IV. c. 28.

2) CIC. Offic. II. c. 21.

GUSTUS postea accipientium multitudinem reduxerunt, quo vix decima civium pars continebatur [3]), confirmari videtur.

MAZOCH. praeterea legis cujusdam BORIAE vestigia [4]) secutus, non modo ditiores nihil accepisse, sed etiam quemlibet eorum pro rata rei familiaris, ad frumenti largitiones egenis faciendas contribuere oportuisse, suspicatur. Qua conjectura etsi optime, cur in nostra lege praeter nomina alias quoque res (fortasse agrorum, reique familiaris rationem) profiteri oportuerit [5]), declaretur, tamen, quum eodem APPIANI loco, ab alio tribuno haud multo post haec ditiorum tributa sublata esse, doceamur [6]), non magnam hujus loci putaverim auctoritatem, nec ipsius rationem, in nostra lege interpretanda, esse habendam. Nusquam, enim, si ab APPIANO discesseris, de re tam gravi ullum vestigium reperitur; unde, si talis aliquando fuerit lex, perbrevis aevi eam fuisse credendum est. Deinde si hanc professionis causam dicamus, aliae

3) J. LIPSIUS Elect. lib. I. c. 8.

4) APPIAN De bell. civ. I. p. 366. qua de lege multus est MAZ. p. 316. not. 16. καὶ φόρες ὑπὲρ αὐτῆς τῷ δήμῳ. καταϑέσϑαι, καὶ τὰ δε τὰ χρήματα χωρεῖν ἐς διανομὰς κ. τ. λ.

5) v. 13. *ejus, qui profitebitur nomen, et ea quae professus erit.*

6) APPIAN. l. l. p. 367. καὶ τοὺς φόρες ἐ πολὺ ὕςερον διέλυσε δήμαρχος ἕτερος, κ. τ. λ.

oriuntur difficultates. Versu enim 4-6 ubi pupillorum, pupillarumque loco, tutores profiteri jubentur, de mulierum tutoribus nihil additum est. Quis autem, quin mulieres ejusmodi, qualem MAZ. vult, professione *se obligassent*, dubitet? Quod sine tutoris auctoritate non licuit mulieribus [7]. Neque enim perinde est nihil accipere, ac ex suo etiam se tributurum, profiteri. Quamquam nostri aeris aetate, mulierum tutela jam valde relaxata fuisse videtur.

Jam mihi tabulae nostrae aetatem animo consideranti et occasionem, alia succurrit causa, cur praeter nomina alias quoque res (ut videtur, pecuniae rationem, agros caet.) profiteri oportuerit; quod et facilius et certius ex tabulis censualibus perspici poterat. Quum enim post legem JULIAM cuique in Italia municipi Romam migrare, ibique omnibus civium Romanorum beneficiis ad quae et frumenti largitiones pertinebant, frui liceret, haud paucos tali licentia usos esse, credendum est. Quemadmodum autem civium Romanorum, qui jam ante legem JULIAM fuerant, res familiaris ex tabulis censualibus jam satis erat nota; ita novos cives, censu eorum nondum acto, ad Consulem antea profiteri oportebat. Ipsa enim (v. 142-158) census agendi ratio, quoniam tam accurate describitur, ante hanc legem de ea nondum satis constitisse, non inepte conjici potest. Quod saepius usu venisse videtur, ut novorum civium, ante

7) ULPIANI frr. tit. XI. §. 27.

frumenti dationem, recensus haberetur [8]). Ac consulis hoc fuisse officium ex eodem DIONIS loco, ubi recensus ille a POMPEJO Consule institutus esse dicitur, apparet. Quo absente, caute in lege additur ad quos professiones fieri oporteat, ad eos magistratus, quibus praeter consules cum populo agere olim solis licebat, ad praetores et tribunos plebis.

---

v. 15 et 16. IBEI · VBEI · FRVMENTVM · POPVLO · DABITVR.

Qualis hic dicatur locus vide MAZOCHII conjecturas [9]), qui *Minucias* porticus, in quibus tesserae frumenti distribuerentur, intelligendas esse, docte exponit.

---

v. 16. COTTIDIE · MAIOREM · PARTEM · DIEI · PROPOSITVM · HABETO.

Tamdiu tabulae prostare solebant, donec id quod magistratus iis effici voluerant, effectum esset. Hoc igitur loco per tot dies (cottidie) proponendae erant, per quot frumenti distributio fiebat. Sic in fragmento legis judiciar. ap. GRUT. p. 508.

---

8) Dio lib. XXXIX. p. 101. ed Leunclav. καὶ ὁ Πομπήϊος ..... ἀπογραφὴν σφῶν, ὅπως ἐν κόσμῳ καὶ ἐν τάξει τινὶ σιτοδοτηθῶσιν, ἐθελῆσαι ποιήσασθαι.

9) p. 518 sqq.

v. 13.: MAIORE · PARTE · DIEI · DONEC · SOLVTVM · ERIT. Jam vero, quae fuerit Romanis *major diei pars*, quaerenti, etsi fragmentum Digestorum [1]) adest clarissimum: "*cujusque diei major pars est horarum septem primarum diei, non supremarum*" tamen res in ambiguo esse videtur, propter graecorum interpretum hujusce fragmenti conversionem [2]): "*μεῖζον μέρος, τῆς ἡμέρας ἐςιν αἱ πρῶται ἓξ ὧραι, ὀ μὴν αἱ ὕςεραι.*" Sed tamen primo quoniam inaequalis numerus voci: *major*, magis accommodatus est, deinde et in aliis scriptoribus harum *septem* horarum vestigia non obscura repeiuntur, v. c. in JUVENALI [3]): *inque dies septenis aderis horis*, REIZIO pro: ἓξ reponenti: ἑπτά, non repugno. Nam quum ab hora diei prima ad octavam Romani maxime ad negotia publica vel privata in fore plateisque curanda se dare solerent, reliqua dieī parte per quietem, balnea, aliasque recreationes consumta, nulla alia diei pars ad tabulas, a quocunque legendas, in foro proponendas aptior erat primis illis septem diei horis, quibus maximus in urbe hominum concursus.

MAZOCHIUS verbis: NEVE · ANTE · HORAM · X DIEI · caet. v. 57 et 67. commotus, quod eadem fuerit plostrorum prohibendorum causa et ratio, quae tabulae proponendae, hominum in unum confluentium concursationem dico et turbam,

1) Fr. 2. §. 1. D. L, 16.

2) ap. REIZ. ad THEOPHIL. tom. II. p. 965.

3) Sat. VI. v. 281.

Remanos olim non ut PAULI aetate, septem tantummodo sed novem horas in foro, negotiorum curandorum causa consumsisse, hisque majorem diei partem constitisse, acutius quam verius disputare mihi videtur. Licet enim, hoc demus, quod non est dandum, PAULI tempore Romanos, luxuriae deditos pauciores in foro versatos esse horas quam olim, tamen hanc temporis morumque mutationem in formulam quoque tam antiquam esse translatam, quis tandem, Romanorum in formulis retinendis, tenacitatis memor, credat?

---

v. 17. DABVNT · DANDVMVE · CVRABIT.

Recte MAZ. *dabunt* ad mensores frumentarios in marmoribus et ICtis obvios, *curabit*, ad eum qui toti largitionis negotio praeeset, sive aedilem, sive alium quempiam magistratum pertinere existimat. Huic enim v. 18.: *dare, jubeto — neve sinito*, illis: *dato* respondet. vid. not. crit. ad h. v. Ad hoc frumenti distribuendi officium declarandum SCtum de aquaeduct. ap. JUL. FRONTINUM non mediocriter facit: EOS . QVI · AQVIS · PVBLICIS · PRAEESSENT · CVM · EIVS · REI · CAUSA · EXTRA · VRBEM · ESSENT · LICTORES · BINOS · ET · SERVOS · PVBLICOS · TERNOS · ARCHITECTAS · SINGVLOS · SCRIBAS · ET · LIBRARIOS · ACCENSOS · PRAECONESQVE · TOTIDEM · HABERE · QVOT · HABENT · II · PER · QVOS · FRVMENTVM · PLEBEI · DATVR.

---

v. 19. IS · IN · TR · M · I · HS · D · POPV-
LO · caet.

Suadent CONRADII lectionem, et notarum interpretationem tot leges antiquae, in quibus eodem modo non tam temporis, intra quod, sed mensurae cujusdam in quantam poena sanciatur, ratio habetur. Lex THORIA QVOTIENS · FAXIT · IN · AGRI · IVGRA · SINGVLA · . . . . HS. In lege MAMILIA: SI · QVIS · ADVERSVS · EA · QVID · FECERIT · IN · RES · SINGVLAS · QVOTIESCVNQVE · FECERIT · HS · III · caet. Ubi de frumenti mensura agitur, saepissime non *frumenti* sed *tritici* modios commemorari videmus [4]). Laudat CONR. quaestorem *triticiarium*, qui alias est *a frumento*. Accedit, quod in nostro loco, ut in similibus, haec ratio ut poena secundum pondus, numerum mensuramve augeatur, certa et constituta ratione multo est aptior.

Nota est formula actionis popularis, saepissime iisdem verbis in nostra lege recurrens. Praetor enim ita edicebat [5]): *quicunque agere volet, ei centum aureorum actionem dabo.*

---

v. 20. QVAE · VIAE · IN · VRBEM · ROM · PROPIVSVE · V · R · P · . . . VBEI · CONTINENTE · HABITABITVR.

Explicandum erit hoc loco, tum quid *urbis*

---

4) NEP. ATTIC. c. 2. CIC. divinat. c. 10. LIV. XXXVIII. c. 38.

5) Fr. 3. pr. D. XLVII, 12.

Romae significatione intelligatur, tum ubi *continenti* habitari dicatur. Atque illo expedito, hoc quale sit, eo facilius perspicietur [6]).

PAULUS ita definit [7]): "*VRBIS appellatio mu-* „*ris, ROMAE autem continentibus aedificiis fini-* „*tur; quod latius patet.*" Quod alio fragmento etiam illustratur [8]): "*Ut ALFENUS ait, VRBS est* „*Roma, quae* (leg. *qua*) *muro cingeretur, ROMA* „*est etiam, qua continenti* [9]) *aedificia essent.*" caet. Quemadmodum enim vel nostris temporibus, ab ipsa urbe, eas partes, quae nonnumquam ipsa urbe majores extra muros habitantur, distinguere solemus; ita *urbs* a *Roma* s. *urbe Roma*, i. e. continentibus extra muros aedificiis, distinguenda. Sic in multis SCtorum de aquaeduct. apud JUL. FRONTINUM locis: INTRA · VRBEM · VEL · EXTRA · VRBEM · — DE · NVMERO · PVBLICORVM · SALIENTIVM · QVI · IN · VRBE · ESSENT · INTRAQVE · AEDIFICIA · VRBI · CONIVNCTA · — INTRA · VRBEM · ET · EXTRA · VRBEM · CONTINENTIA · AEDIFICIA. — Jam illis Digestorum fragmentis nostra tabula prorsus respondet atque suffragatur; nisi quod pro: *Roma* semper sculptum est: *urbs Roma*, ita tamen ut *urbs* non

---

6) Cf. in hac disq. MAZ. et CONR. Comm.

7) Fr. 2. pr. D. L. 16.

8) Fr. 87. D. eod. cf. fr. 139. pr. fr. 147. eod.

9) HAL.: *in continenti.* Sed lectionem: *continenti* nostra tab. v. 20 et 56. confirmat.

addita voce *Roma*, diligenter distinguatur [1]). Idemque in lege SERV. GLAUCIA observatur.

Sequitur alia quaestio, unde tandem hi *passus mille*, qui adduntur, numerandi sint. Qua de re multum disputatum est [2]). Siquidem verum est, quod ex v. 56. et vel maxime ex v. 77. satis apparere videtur, *Romae* et *urbis Romae* significatione continentia quoque comprehensa esse, quin inda a continentibus passus mille numerandi sint, dubitari nequit. Semper enim in aere legitur: *in urbe Roma*, (v. 77. *Romae*,) *propiusve urbem Romam passus mille*. Quam explicationem MACER [3]) quoque non mediocriter confirmat: "*mille passus* (non?) *a miliario urbis, sed a continentibus aedificiis numerandi sunt.*" Sive enim *non*, intercaletur, sive omittatur, sive pro: *miliario* ut nonnulli volunt, *muro* legatur, sive illud retineatur, id quod nunc agitur, clarum est, a continentibus aedificiis numerandos esse passus. Atque hi non modo in ipsius Romae, sed etiam in aliorum oppidorum terminatione commemorantur [4]). Iisdem porro

---

1) v. 50. VIEIS · IN · VRBE · PVRGANDEIS · IIVIR · VIEIS · EXTRA · (sc. *urbem*) PROPIVSVE · VRBEM · ROMAM · caet. In ceteris enim legis locis, ubi *urbem* ab *urbe Roma*, sejungere non opus erat hanc, quae illam tacite complectebatur, nominare sufficiebat.

2) Disputationis historiam vid. ap. MAZ. p. 528 — 538.

3) Fr. 154. D. L, 16.

4) LIV. XXXIV. c. 1. in legis OPPIAE verbis: *ne qua mulier in urbe oppidove, aut propius inde passus mille* caet.

finibus praetoris urbani tribuni aliorumque magistratuum potestas circumscripta est [5]), et absentiae termini constituti [6]).

v. 21. ARBITRATV · EIVS · AED · QVOI · EA · PARS · VRBIS · H · L · OBVENERIT.

Aedilium haec erat provincia, tam plebis quam curulium [7]), ut non modo publicas vias una cum IIIIviris viis in urbe, IIviris extra propiusve urbem Romani purgandis, curarent purgandas, sed etiam ut, ne viae ab iis, quos eas, quod ante aedificia essent, tueri oporteret, negligerentur, caverent. Inprimis ne aqua in viis restagnans transeuntes impediret, aedilium curae mandatum erat. Sic enim, ut jam in notis criticis ad v. 23. dictum est, recte verba a CONRADIO restituta sunt; quam lectionem, locorum in Digestis quorundam simillima ratio suadere videtur. v. c. *si quis ita aedificaverit, ut aqua in via collecta restagnet* [8]). Ac

5) Liv. III. c. 20.

6) Fr. 173. fr. 199. D. L. 17.

7) v. 24. At dixerit quis v. 54. tribunal, quod magistratuum curulium fuisse proprium satis constat, qui fit ut aedili plebis quoque tribuatur? Sed v. 34. tribunale pro quocunque editiori loco, unde magistratus ediceret, esse MAZ. p. 540. monuit. Sic: *pro tribunali* interdum verbis: *de plano* opponitur.

8) Fr. 2. §. 27. D. XLIII, 8.

totum hoc aedilium minus ita describitur: *aediles curent, ut, quae secundum civitates sunt viae, adaequentur et effluxiones non noceant domibus* [9] — *construat autem vias publicas unusquisque secundum propriam domum, et aquaeductus purget, qui sub Dio sunt, i. e. coelo libero, et construat ita, ut non prohibeatur vehiculum transire* [1]), quae ultima verba versum 23 optime interpretantur: *neve eo loco — utatur;* pertinet enim ad aquaeductus sub Dio, quibus non satis purgatis, aqua restagnans viae usum impedivit.

Noli tamen ex verbis: *aedilis, quoi ea pars urbis hac lege* obvenerit, v. 21 et 27, novam hac lege aedilibus, sortiendi inter se, urbisque partes distribuendi normam praescriptam esse, suspicari. Quum enim neque ex ullo alio scriptore neque ex nostro aere, veterem urbis distributionem, qua inde a SERVIO TULLIO quatuor urbis partes descriptae essent, mutatam reperiamus illud: *hac lege*, ut saepe, ita hic quoque sic redundat, ut id, quod neque mutatur, neque nunc instituitur, confirmandae veteris rationis causa, *hac lege* fieri dicatur atque institui.

---

v. 24. IEI · IN · DIEBVS · V · PROXVMEIS · caet.

CONR. [2]) ideo diebus quinque proximis hoc

---

9) pr. D. XLIII, 10.
1) §. 4. D. eod.
2) Praef. ad Parerg. p. 49.

fieri oportuisse censet, quod magistratum, plus quinque dies, nisi qui in leges jurasset, gerere non licuerit [3]). Sed quum v. 25 legatur: *quibus* (diebus) *ei magistratui designati erunt eumve magistratum inierint*, alia fuerit causa, necesse est. Designato enim tantummodo ne quinque quidem dies magistratum gerere licuit. Ea potius causa fuisse videtur, ne viarum cura, tam urgens, atque necessaria longius differretur; quod ante sortitionem nemo sciret, quam urbis partem curandam haberet.

v. 29-55.

Viarum cura talis describitur, aedilibus injuncta. Primo quemque aedificii dominum, ejus viae, quae ante aedificium est, partem dimidiam ita tueri oportet, ut domino aedificii, quod e regione est, altera viae pars dimidia tuenda relinquatur. v. 20-29. Quod etsi non directis verbis indicatur, tamen ex analogia viae inter aedificium publicum et inter aedificium privatum, cujus viae partem dimidiam Aedilis tuendam locat, perspici potest v. 29-51. Quicunque viam vel prorsus neglexerit, vel non recte, aedilis arbitratu curaverit, ejus viam Aedilis, denunciatione antea facta, sumtibus domini negligentis tuendam publice, in modum auctionis, locet. Quanta pecunia viam locaverit tuendam, tantam pecuniam et in tabulas publicas rationum referat, et redemtori ab aedificii domino exigendam assignet; quam nisi justo tempore solvat at-

3) Liv. XXXI. c. ult.

tributus, satisfaciatve alio modo, de tanta pecunia et, multae loco, dimidia judicium detur hac formula: *uti de pecunia credita.* v. 31 – 49. Eodem modo semitam quisque ante aedificium recte constratam habeto v. 53 – 55.

Quod autem PAPINIANUS [4]) addit: *quicunque autem mercede habitant, si non construat dominus, ipsi construentes computent impensas in mercedem,* hujus in aere nulla habetur ratio.

v. 40. IN · TABVLAS · PVBLICAS · PECVNIAE · FACTAE · REFERVNDVM · CVRATO.

Tabulas publicas pro codicibus rationum publicarum dici, testis est CICERO [5]). Sed difficilius, quae sint tabulae pecuniae factae interpretari. Nam id quod plerumque dicitur: *pecuniam facere,* i. e. *cogere, sibi adquirere,* hoc non videtur quadrare. Sensus tales flagitat tabulas in quibus rationes et eorum, quae aerario deberentur, et eorum, quae aerarium deberet, perscriptae continerentur. Sola enim attributione s. assignatione, aerarium, cujus nomine aedilis locaverat, non liberabatur. Forsan, ut privatorum tabulae expensi et accepti dicuntur [6]), ita publicae tabulae, pecuniae factae. Nisi forte levi mutatione pro: *pecuniae factae* legendum

4) Fr. un. §. 3. D. XLIII, 10.

5) Verr. I, c. 21. Rosc. Am. c. 44.

6) Cic. Rosc. Com. c. 1.

sit: *pecuniae pactae* i. e. quam redemtor sibi pactus erat. Itaque in tabulas referebatur: et aedificii dominos negligentes tantam pecuniam aerario debere, et redemtori ex lege locationis, a quaestore urbano dicta, aerarium teneri. Nec enim opus esset attributione, nisi aerarium quoque redemtori teneretur.

---

v. 41. EVM · EOSVE · ADTRIBVITO · SINE · D · M ·

Adtribuere est *assignare* [7]. Itaque *attributio repraesentationi* interdum opponitur [8]. Quae attributio in locatione maxime operis publici faciendi, erat usitata, ubi pecunia redemtori pacta non praesens solvitur, sed aerarii debitor ita redemtori assignatur, ut tamen, debitore illo quamcunque ob causam non solvente, aerarium aut ipsum solvat, aut alium attribuat debitorem, qui magis est solvendo. Qua re in formula semper additur verbis: *pecuniam adtribuendam curent* vox: *solvendam* [9], vel *dandam*, ut in nostri aeris v. 49. DANDAM · ADTRIBVENDAM · CVRATO. Adtribuitur igitur pecunia s. debitum; sed pro *debito* ipse *debitor*

---

7) Varro L. L. IV. 36.

8) Cic. ep. ad fam. XVI. 24. *De adtributione conficies. De repraesentatione videbis.*

9) Cic. Philipp. XIV. c. ult. *quaestores urbis ad eam rem pecuniam dare, attribuere, solvere jubeant.* cf. Cic. Philip. IX, 7.

ut in v. 41. nonnumquam adtribui dicitur [1]). Id tantum inter Ciceronis locum et nostrum interest, quod in illo id cujus attributio fit, accusativum, in tabula genitivum, dicendi ratione obsoloetiore habet: *tantae pecuniae eum attribuito.* Supplenda videtur vox: *nomine*, ut et v. 38.

---

v. 41–45. DIEBVS · XXX PROXVMEIS · — VTEI · DE · PECVNIA · CREDITA ·

In XII tabularum fragmentis [2]) haec verba legentes: AERIS · CONFESSI · REBVSQVE · IVRE · IVDICATIS · XXX · DIES · IVSTI · SVNTO · POST · DEINDE · MANVS · INIECTIO · ESTO ·, hujus in mutuaticiae pecuniae usu judiciorum ordinis, in cujusmodi contractibus tam severos fuisse Romanos, auctor est Gellius [3]), in nostra quoque tabula, vestigia haud obscura perspicere nobis videmur. Praesertim quum v. 44 legatur: *judicem judiciumque ita dato, utei de pecunia credita judicem, judiciumque dari oportebit.* Hac igitur legis parte id sancitur, ut ea pecunia, cujus nomine aedificii dominus attributus est, pro *pecunia certa credita*, quae judiciorum ordine utebatur a reliquis tam diverso, habeatur; tum quo majorem domi-

---

1) Cic. ad Attic. XIII. ep. 2. *Faberius si venerit, videbis ut tantum attribuatur, si modo attribuetur, quantum debetur.*

2) Tab. III.

3) N. A. XXI, 1.

nus aedificii negligentiae luat poenam, tum quo citius redemtori satisfiat. Id enim, quod in judicio de pecunia certa, credita requiritur, ut confessus sit debitor [4]), neque solverit, neque alio modo satisfecerit [5]), hoc in adtributum debitorem manifesto cadit, qui tabularum publicarum testimonio convictus non potest non confiteri.

Verba: *utei · de · pecunia · credita ·* formula videntur esse actionis, qua is, quocunque in jus aditum est, breviter judicem, quale hoc loco judicii genus esset, edocebat ita: *utei de pecunia credita.* Quo accepto, nihil aliud addere opus erat, quum satis notum esset tale judicium, quo praetor *statim duci jubebat reum* [6]).

Additur autem in nostra lege, mulcta dimidiae pecuniae, quantae attributio facta est; quae saepius negligentibus dominis diei solita esse videtur [7]).

---

4) Lex XII tab. AERIS · CONFESSI ·, lex de Gall. Cis. Col. II. v. 5. DEBEREVE · SE · CONFESSVS · (v. 6.) ERIT.

5) Leg. de Gall. Cis. Col. II. v. 6, NEQVE · ID · QVOD · CONFESSVS · ERIT · SOLVET · SATISVE · FACIET · collat. c. tab. v. 42. cf. V. Cl. Dirksen ad l. l. Gall. Cis.

6) De toto hoc judicio cf. lex Gall. Cis. Col. II. c. XXI XXII. cum notis Dirkseni. Liceat tantum levem loco addere correctionem. V. 8. enim et v. 37. pro: RESPONDERIT · non dubito reponere: RESPONDEBIT · quoniam et antecedentia et sequentia verba, futurum habent. v. 11. tamen RESPONDERIT recte habet.

7) Fr. un. §. 1, D. XXIII, 10. *si autem non emundave-*

v. 50-52.

Dictum est hucusque in lege de cura publicarum viarum tuendarum, aedilibus demandata. Jam, quo minus una cum aedilibus quatuorviri viis in urbe, duumviri extra propiusve urbem Romam passus mille purgandis, vias publicas purgandas curent, ideo hac lege nihil rogari additur, ne quis forte, quae de viis tuendis dicta sunt, ad viarum purgationem quoque referenda putet. Quatuorvirorum enim munus duumvirorumque cum aedilium munere comparantes, quanto latius horum cura pateat, quam illorum, nos fugere non potest. Aediles viis praesunt et tuendis et purgandis, illi purgandis tantummodo. *Purgare vias* autem quid sit ULPIANUS [8]) nos docet: *purgare* (quae lectio propter sequens: *redigere* praeferenda videtur, Florent. *purgari*) *autem proprie dicitur ad libramentum proprium redigere, sublato eo, quod super eam* (sc. viam) *esset. Tueri* contra non tam late patere, sed magis ad externam viarum speciem pertinere, inde quoque apparet, quod hoc privatis hominibus arbitratu aedilium injunctum, illud autem purgandi munus certorum est magistratuum. De quatuorviris POMPONII [9]) locum habemus: *eodem tempore et quatuorviri, qui curam viarum gererent,* (sc. constituti sunt.) De duumviris DIONIS CASSII locus

---

rint, neque construxerint, multent eos, quousque firmos effecerint.

8) Fr. 1. §. 1. D. XLIII, 11. cf. §. 2 et 3. D. eod.

9) Fr. 2. §. 30. D. I, 2.

est [1]), unde eodem tempore, quo quatuorviri constituti videntur. Quum enim a POMPONIO [2]) decemviri stlitibus judicandis et triumviri monetales, et triumviri capitales, ut eodem tempore quo quatuorviri constituti commemorentur, is est DIONIS locus, ut vigintiviros ex equitibus referat creatos, in viginti et sex virorum locum, quos olim ex senatorum ordine populus legerat, quique sortitione triumviri monetales, triumviri capitales, *quatuorviri curatores viarum in urbe*, decemviri stlitibus judicandis, *duumviri curatores viarum extra urbem*, fiebant. Qua re ut MAZOCHIO p. 549. quatuorviros aetate fuisse duumviris priores disputanti credam, adduci non possum; praesertim quum utrumque munus ita inter se eo haereret, ut hoc, quod ab illo adhuc relinquebatur, suppleretur. cf. CONR. p. 595 - 598.

---

v. 53. QVOIVS · ANTE · AEDIFICIVM · SEMITA · IN · LOCO · ERIT · caet.

MAZOCH. verba: *in loco* eleganter scripta putat pro: *suo, apto loco.* Sed quae ex poetis affert exempla [3]), minus apta videntur, quum in iis *in loco* significet non tam *suo*, *idoneo loco*, quam *recto*, *justo tempore.* Melius ex CICERONE exem-

---

1) Lib. LIV. p. 540. οἱ γὰρ δὴ δύο οἱ τὰς ἔξω τοῦ τείχους ὁδοὺς ἐγχειριζόμενοι.

2) Fr. 2. §. 29. D. eod.

3) HORAT. IV. od. 12. v. 28. TERENT. Heaut. III, 2, 26.

pla attulisset, ubi *in loco ponere* est: pro *justo, suo loco* ponere [4]). Conr. totam quaestionem intactam reliquit. Sed Mazochii interpretatio, naturali legis et accurato dicendi generi minus convenire videtur; nec enim praecessit, qui aptus sit semitae locus. Quamquam meliorem proferre interpretationem, difficile est. Utinam ex vetere aliquo scriptore, *loci* significatio pro: *spatio vacuo inter aedificia et viam* liqueret! Quam Aelii Galli dicto commotus, libenter arriperem. Verba haec sunt [5]): Aelius Gallus *vestibulum esse dicit, non in ipsis aedibus, neque partem aedium, sed locum ante januam domus vacuum; per quem a via aditus, accessusque ad aedes est, cum dextra sinistraque inter januam tectaque, quae sunt viae juncta,* (supple: *et viam*) *spatium relinquitur; atque ipsa janua procul a via est, area vacanti intersita.* Semitam enim in eo spatio vacuo inter januam aedificiumque et viam fuisse, clarum est; quod et suadent sequentia tabulae nostrae verba: *semitam ei aedificio perpetuo continentem constratam* caet. Sed nihil affirmare ausim.

Quae sit semita multis explicatur a Conr. p. 405-410. Hoc loco enim strictiori sensu semita a via distinguitur, quum alias apud ICtos semita et viae significatione comprehendatur [6]). Nec enim in urbe per vicos solum et angiportus semitae olim erant, sed etiam viae semitis utrinque tam-

4) Verr. V. c. 14. f. Ep. ad fam. VIII. ep. 16. med.

5) A. Gellius N. A. XVI, 5. Macrob. Saturn. VI, 8.

6) Fr. 157. D. L, 16.

quam margine terminabantur, ne euntes ambulantesque plaustris jumentisque turbarentur. Ut igitur eam viam, quae ante aedificium erat, quemcunque aedificii dominum dimidiam tueri, ita semitam angustiorem, viam ab eo latere, in quo aedificium erat, terminantem, non dimidiam sed totam (quis enim alteram dimidiam?) eo aedificio perpetuo lapidibus perpetuis integris continentem constratam recte habere oportebat; *integris* lapidibus i. c. magnis, angulatis, quorum singulus quisquo semitae latitudinem aequabat, ita ut lapidi lapidem addere non esset opus. Appellantur tales lapides etiam *caementa angolaria* [7]. Quod autem *perpetui* dicuntur, ad semitae longitudinem pertinet; quippe qui lapides ita jungerentur, tamque arcte et concinne, ut semita uno lapide strata videretur. Ideoque semper lapides commemorantur, numquam silices. Est locus Catonis [8]), quo qui sint lapides integri, non obscure indicatur: *in tegulas singulas* II (sc. nummos) *in tectum sic numerabitur: tegula integra quae non crit, unde quarta pars aberit, duae pro una, conciliares quae erunt, pro binis putabuntur.*

Vox *recte* in operibus faciendis solennis [9]).

---

7) In leg. operi fac. ap. Grut. p. 207. QVAM · QVAE · CAEMENTA · ARDA · PENDAT · P · XV · NIVE · ANGOLARIA.

8) R. R. c. 14.

9) Lex op. fac. ap. Grut. p. 207. CALCE 1 VDA · DEALBATA · RECTE · FACITO.

v. 56–61.

Hac legis parte, per primas decem diei horas post solem ortum, ne plostra in urbe Roma agantur, propositis quibusdam exceptionibus, cavetur. Nec tamen nostrae legis idem est argumentum quod legis Oppiae plostrariae, qua [1]): "*ne qua mulier juncto vehiculo in urbe oppidove, aut propius inde passus mille, nisi sacrorum publicorum causa veheretur*" cautum est. Quemadmodum enim mulierum luxuriae, ut ex antecedentibus de auro et vestimento apparet, lex Oppia mederi studebat, ita nostra lege urbis munditiei, hominumque concursantium, ne plostris tot laederentur, cura habita esse videtur.

Ceterum ex verbis v. 59: *aut quod ex urbe — exportari oportebit*, id quod saepius in legibus Romanis apparet, quam diligentem Romani urbis venustatis et decoris habuerint curam, comprobatur. Sic saepe in Digestorum fragmentis haec causa affertur: "*ne urbs ruinis deformetur*" [2]). Eandemque ob causam tacita hypotheca ei concessa est, qui ad restitutionem aedificii pecuniam mutuam dederit [3]).

---

v. 62. SACRORVM · PVBLICORVM · P · R · CAVSA ·

Publica sacra ea appellata esse, Festus nos

---

1) Liv. XXXIV. init.
2) v. c. fr. 2. §. 17. fr. 7. D. XLIII, 8.
3) Fr. 1. D. XX, 2.

docet, quae publico sumtu, *pro salute populi romani* fiebant. Quorum exemplum ad virgines Vestales hic commemoratas pertinens est apud Ciceronem[4]): *quod* (aerificium) *fit per virgines Vestales, fit pro populo romano.* Eadem iisdem verbis exceptio in lege Oppia erat[5]).

---

v. 64. QVAEQVE · PLOSTRA · LVDORVM · QVEI · ROMAE · AVT · VRBEI · ROMAE · caet.

Maz. p. 356. verba: *Romae aut urbei Romae* de ipso ludorum loco intelligi vult. Sed primum in tota tabula, quum toties occurrat: *in urbe Roma*, nusquam omissa voce *in* legitur, *urbei Romae.* Deinde, cur his tantum ludis additus sit locus, quum in sacra publica triumphosque idem caderet, nulla est causa. Quocirca totum hunc locum ita interpretari non dubito, ut de ludis magnis s. Romanis, quos *in honorem Deae Romae laribusque urbis Romae* celebratos esse constat[6]), agi existimem.

---

4) Orat. de harusp. resp. c. 17.

5) Liv. l. l. *ne qua mulier — nisi sacrorum publicorum causa, veheretur.*

6) Asconius Pedianus ad Cic. Verr. I. c. 10. *Romani ludi sub regibus instituti sunt magnique appellati, quod Diis magnis, i. e. laribus urbis Romae dati sunt.*

v. 66 et 67.

MAZOCHIO non assentior vocem *esse* in fine v. 67. *commorari* tantummodo interpretanti. Repugnat enim quod additur: *bubus jumentisve juncta.* Quae plostra quominus per decem diei horas (nam siglum: H · X · haud dubie propter v. 57 explicandum est: *horis decem*, nec: *hora decima*) in uno eodemque loco commorari prohiberentur, quis hac lege nihil dici putet rogatum? Triplex enim legis ratio esse videtur. Ac primo quidem, quod additur: *stercoris exportandi causa*, ad eam de qua jam supra dixi, urbis munditiem pertinet. Itaque ut ruinarum exportandarum causa, plostra interdiu ducere licebat, eadem certe ratione iis plostris, quae onusta noctu in urbem inducta erant, ad stercus exportandum, quo urbs vel maxime deformabatur uti interdiu licuisse, cui videatur mirum? Deinde cur inania eadem plostra agere licuerit, causa in eo haud dubie erat, quod inania multo minus hominibus concursantibus in urbe essent periculosa atque metuenda, quam sarcinis onusta; ad quae potissimum legem nostram spectare et exceptiones allatae, et SPARTIANI [7]) quidam locus comprobat, ubi, repetita fortasse nostra lege, *vehiculum cum ingentibus sarcinis urbem ingredi prohibetur.* Denique ne bobus jumentisque interdiu in urbe retentis, agriculturae aliquid detraheretur, cautum hac sanctione videtur.

---

7) Vita HADRIANI c. 22.

v. 69. PVRGANDEIS · PRAERVNT.

Praeter aediles, quatuorviros viis in urbe duumviros extra urbem Romam propiusve passus mille purgandis, (v. 50) ad Censores quoque locorum publicorum cura olim pertinuisse videtur [8]).

---

v. 70 – 72.

Praetoris edicto haec continebantur [9]): "*ne quid „in loco publico*] *facias, inve eum locum immittas, „qua ex re quid illi damni detur.*" *Inaedificatum* est, quum aedificio publico novum privatum imponitur, *inmolitum*, quod a fundamento in publico exstruitur [1]). Verba: *inmolitum*, *clausum*, *septum*, *inaedificatum habere* saepissime in antiquis legibus conjunguntur, ut in lege MAMILIA: NE · QVIS · EOS · LIMITES · DECVMANOS · OBSEPITO · NEVE · QVID · IN · IIS · IMMOLITVM · NEVE · QVID · IBEI · POSITVM · HABETO. Item in lege de aquaed. ap. JUL. FRONTINUM: NEQVE · QVIS · IN · EO · LOCO · — QVID · OPPONIT · MOLIT · OBSEPIT · FIGIT · STATVIT · PONIT · COLLOCAT · ARAT · SERIT · NEVE · IN · EVM · LOCVM · QVID · IMMITTIT.

---

8) LIV. XXXIX. c. 44. ubi CATO et L. VALERIUS censores, quae in loca publica inaedificata, inmolitave privati haberent, demoliti esse dicuntur.

9) Fr. 2. pr. D. XLIII, 8.

1) Cf. TURNEBI Advers. lib. I. c. 25. ad LIVII XXXIX. c. 44. — Quem refellit MAZ. p. 376 et 377.

Adjicitur in nostra lege exceptio v. 72. *nisi — permissumve* est, quae eadem praetoris edicto annexa reperitur [2]): "*praeterquam quod* [3]) *lege, senatusconsulto, edicto, decretove principum tibi concessum est.*"

v. 72. VTEIQVE · LEGE · caet.

Maz. p. 378. *uteique* ita interpretatur, ut pro: *dumtaxat* positum dicat, exemplo fr. 3. §. 16. D. XXVI, 10. Sed licet haec vocis significatio occurrat, tamen hoc loco *utique* pro *et uti* dictum esse ut saepe in hoc aere v. c. v. 5, 11, 14, ideo existimo, quod v. 75 legitur: *utantur, fruantur ita, utei quoique eorum — licebit.* Sensus igitur hic est: nisi quibus (locis uti) concessum est, *et uti* (locis uti) concessum est.

2) Fr. 2. pr. D. XLIII, 8.

3) Hanc enim plurimorum Codd. lectionem Florentinae: *quo* (sc. loco) praeferendam censeo. Quamquam enim in nostro aere legitur: *nisi quibus* (sc. locis porticibusve, nam *quibus*, propter sequens v. 73 *quibus loceis* ad *loca* referre malim, quam ad *eos quibus* permissum est) tamen longe diversa ratio esse videtur. In nostra lege exceptio magis ipsa loca spectat, in edicto magis utendi, immittendive modum. cf. fr. 2. § 6—18. D. eod. Deinde quod additur: "*de eo quod* (lege sc. concedente) *factum erit, interdictum non* (sic Cod. Flor.) *dabo*" illud *quod* et suadet et flagitat.

v. 73 - 77.

Praetor ait [4]): *quo minus loco publico, quem is, cui locandi jus fuerit, fruendum alicui locavit, ei qui conduxit, sociove ejus e lege locationis frui liceat, vim fieri veto.*

Lege censoria [5]) nihil notius, qua, secundum VARRONEM, *quinto quoque anno vectigalia et ultrotributa a Censoribus persolvebantur.* Ultrotributa autem quae sint, potissimum erit explicandum; nam de vectigalibus satis constat. Ἐργολαβίας PLUTARCHUS [6]) vocat; ἐργολαβεῖν autem nihil aliud est, nisi opus aliquod faciendum suscipere. A LIVIO [7]), M. CATO et L. VALERIUS *censores vectigalia summis, ultrotributa infimis pretiis locasse* dicuntur. Ibidem paullo post legitur: *ut omnibus redimendi et conducendi* (sc. vectigalia et ultrotributa) *promiscue jus esset.* Quo in loco accurate LIVIUS usus esse videtur verbis *redimere* et *conducere* quorum illud ad ultrotributa, hoc ad vectigalia pertinet. Ultrotributa igitur (ut TURNEBI [8]) utar definitione) "*sunt impensae et attributiones operum publicorum faciendorum, et sartorum tectorum praestandorum, mancipibus et redemtoribus certa mercede locatorum; qua re ultrotributa, quibus impensae sumtusque et erogationes pecuniae publicae ex*

4) Fr. 1. pr. D. XLIII, 9.

5) BURMANN. De vectig. pop. Rom. c. 8.

6) CATO Cens.

7) XXXIX. c. 44.

8) Advers. I. c. 29.

„*aerario hauriebantur, quantum potuere censores, ad* „*minimam summam perduxere*" [8]). Cf. Maz. p. 379. Quae ultrotributorum eadem natura, nostro quoque aere declaratur. Ut enim vectigalia *fruenda* ita ultrotributa *tuenda* conducta habentur. v. 74. Unde fit, ut, quum de solis vectigalibus agitur, numquam vox *tueri* occurrat, semper *frui* [9]). At quid est, cur, quum v. 71. legatur: *fruendeis tuendeisve*, v. 75 et 76. VBEI tantummodo et *fruei* reperiatur, nec *tueri* vel *custodire?* Causa in eo est, quod in lege quidem censoria non modo publicanorum, sed etiam reipublicae cura atque ratio habenda erat, in nostra autem lege nonnisi publicanorum, ne locis publicis frui prohiberentur.

Ideo autem in tabulae v. 73 censori additur: *aliusve quis magistratus* caet. quia, si, quod haud raro factum esse constat, censorum magistratus vacaret, ejusmodi locationes horum loco a praetoribus urbanis vel aedilibus fieri solebant [1]). Eodem modo v. 144. *censor, aliusve quis magistratus.*

---

v. 77 - 79.

Alia de locorum publicorum usu exceptio, affertur, ad ludos scenicos pertinens. De his enim

---

8) De ultrotributis vide etiam Fulv. Ursinum ad Augustinum de legibus et SCtis. p. 55. Exemplum vid. ap. Liv. XXXVIII. c. 28.

9) Cic. Or. de prov. cons. c. 5.

1) Henr. Dodwell Praelect. Camd. App. p. 730. Conr. p. 421.

potissimum agi, *scena* et *pulpitum* indicare videntur. Nec tamen ei argumento, quo MAZOCHIUS[2]) ex his versibus depromto, quia subselliorum nulla facta sit mentio, Romanos, hujus legis aetate, adhuc stantes ludos spectasse probare conatur, magnam habendam esse fidem putaverim. Adduntur enim scenae et pulpito: *ceteraque quae ad eos ludos opus erunt* [3]), quibus et subsellia et multa alia contineri posse, quis non videt? Quamquam ex solo v. 138. "*neve quis eorum ludeis — in loco senatorio sedeto*" quantum inter ipsius Romae municipiorumque mores interfuerit, memor, contrariam rationem affirmare non ausim. SCtum quod suadente NASICA factum est [4]): "*ne quis in urbe propiusve passus mille subsellia posuisse sedensque ludos spectare vellet*" id sexagesimo septuagesimove post anno, hujus aeris tempore adhuc viguisse, quominus credam TACITI [5]) loco impedior. Inde enim a POMPEJO retro duo proponuntur spatia, unde subselliorum usum in ludis stata atque mansura theatra tempore praecessisse, satis apparet. Licet

2) p. 385.

3) Solennis haec fuisse videtur in legibus praesertim operi faciundo formula. Sic CATO R. R. c. 14. "*qui bene praebeant, quae opus sunt,*" quae verba in CATONE saepissime occurrunt.

4) VAL. MAXIMUS II, 4. 2.

5) Annal. XIV. c. 20. *Quippe erant, qui CNEIUM quoque POMPEIUM incusatum a senioribus referrent, quod mansuram theatri sedem posuisset; nam antea subitariis gradibus et scena in tempus structa ludos edi solitos, vel si vetustiora repetas, stantem populum spectasse*, caet.

igitur nostrae tabulae aetate, quin statum theatrum mansurumque nondum in usu fuerit, propter v. 77 et 78. dubitari nequeat, tamen hoc tempus a POMPEJO retro vix *vetustum* appellare licuisset [6]. Cf. tamen MAZ. qui ex eodem TACITI loco longe alia colligere sibi videtur.

v. 80 et 81.

Publici intelligendi sunt scribae atque librarii, ut ex additis magistratibus apparet; secundum quorum varia genera, varia quoque scribarum nomina, ut aediliciorum, quaestoriorum caet. Scribarum officium a CICERONE [7] ita describitur: *quorum fidei tabulae publicae periculaque magistratuum committuntur.* Ubi etiam ipsorum ordo *honestus* vocatur. cf. MAZ. ad h. l. de scribis librariisque, eorumque officiis.

v. 82. QVAE · LOCA · SERVEIS · PVBLICEIS · caet.

Fortasse haec loca servis publicis habitandi utendi causa adtributa, ad *annua*, quae accipere solebant [8]. pertinent. De servis publicis vid. LIPSIUM Elect. I. c. 22.

6) vid. supra, quae de legis aetate dicta sunt.

7) Verr. III, 79.

8) PLIN. Ep. X, 40. *in plerisque civitatibus — quidam vel*

v. 83. QVEIQVOMQVE · IN · MVNICIPIEIS · COLONIEIS · PRAEFECTVREIS · FOREIS · CONCILIABVLEIS · C · R ·

Quum hactenus in nostra lege de iis rebus agi viderimus, quae ipsam Romam spectent, subito a v. 83. usque ad fragmenti finem de horum municipiorum, coloniarum, praefecturarum, fororum conciliabulorum decurionibus, magistratibus et censu sancitur. Qua in parte explicanda nihil debet esse potius, quam ut accuratius harum appellationum natura, quae sint, quove modo inter se differant, expediatur.

Ac primo quidem municipia erant civitates sui juris atque arbitrii, suisque legibus utentes. Quod ex GELLIO perspicitur, cujus municipiorum jura conditionemque et coloniarum inter se comparantis verba haec sunt [9]: "*coloniarum alia* (quam municipiorum) *necessitudo est; nec enim veniunt extrinsecus in civitatem, nec suis radicibus utuntur, sed ex civitate quasi propagatae sunt, et jura institutaque omnia populi Romani, non sui arbitrii habent.*" Haec igitur municipia et suis legibus, et mgistratibus a municipibus creatis, utebantur, et omnino jus reipublicae habebant. Nec solum in suis municipiis honores magistratusque capere municipibus licuit, sed etiam Romae, utpote quibus jus honorum concessum esset [1].

---

in opus damnati publicorum servorum officio ministerioque funguntur, atque etiam ut publici servi annua accipiunt.

9) N. A. XVI, 13.

1) Qua re a *muneribus capiendis* municipia dicta GELLIUS auctor est. l. l.

Secundo loco commemorantur coloniae, quae additis ipsa lege verbis: "*Civium Romanorum*" a reliquis coloniarum generibus, latinis et provinciarum facile discernuntur. Coloniae enim oppida erant, quo populus Romanus cives ad incolendum deduxerat [2]; qua re a municipiis, quorum in reliquis, ut reipublicae statu et conditione, similes erant, eo maxime differebant, quod horum peculiaris erat atque propria a prima origine historia, illarum autem civitates originem priorumque temporum historiam a Romanis annalibus repetere oportebat [3].

In *praefecturis* difficilior disquisitio videtur. Quarum historia multis tenebris erroribusque obruta ipsam conditionem obscuram reddidit. Nam et SIGONIUS [4]) et MAZOCHIUS [5]), praefecturas non multum a provinciarum natura differre, civitatesque erga populum romanum ingratas, poenae causa, in praefecturae formulam redactas esse, dictitantes, lege JULIA demum praefecturarum meliorem exstitisse conditionem putant. Quos tum FESTI locus, tum Capuae exemplum commovisse videtur. FESTUS [6]) enim ita definit: "*praefecturae* „*eae appellabantur, in Italia, in quibus et jus dice-*

2) SIGONIUS De antiquo jure Italiae II. c. 2.

3) GELLIUS l. l. "*nec suis radicibus utuntur.*" SAVIGNY Gesch. des R. R. im Mittelalter. tom. I. p. 16.

4) l. l. II, c. 11 et 12.

5) p. 592. add. ERNESTI Clav. Cic. voce *praefectura.*

6) v. *praefectura*.

„*batur, et nundinae agebantur et erat quaedam ea-
„rum respublica; neque tamen magistratus suos ha-
„bebant; in quas legibus praefecti mittebantur quot-
„annis, qui jus dicerent.*" Ac primo quidem quod FESTUS dicit: *neque tamen magistratus suos habebant;* hoc non ad omnes magistratus pertinet, sed ad *duumviros* tantummodo *quatuorvirosve juri dicundo*, quos, prae reliquis, *magistratuum* appellatione comprehendi solitos esse, infra latius dicetur [7]). Itaque si a duumviris, quorum locum praefecti juri dicundo tenebant, discesserimus, praefecturarum respublica eadem erat, quae municipiorum coloniarumque; nam et senatum et magistratus reliquos, civium suffragiis creatos, habebant [8]). Deinde FESTUS de iis potissimum civitatibus manifesto loquitur, quae, ut Capua, poenae loco in praefecturae formulam redactae erant; quarum reliquis paullo fuisse duriorem conditionem, non est mirum [9]). Quae quum FESTUS confunderet, essetque haec omnis res jam GELLII temporibus valde difficilis intellectu atque implicata [1]), eo facilius error irrepere potuit. Nec tamen id dico, omnes praefecturas municipiorum jure fuisse praeditas, quod ipsius Capuae celeber-

7) DE SAVIGNY l. l. p. 41. not. 69. Ipsa FESTI verba hoc demonstrant; nam sequuntur, ejus, quod dictum erat, explicandi causa, haec verba: *in quas legibus praefecti caet.*

8) Tab. v. 85. 86. 96. 105. 108. 109.

9) LIV. XXVI, 16.

1) N. A. XVI, 13.

rimo exemplo, quam sit falsum, comprobatur; sed potius, variam praefecturarum fuisse conditionem, aliasque, liberaliori reipublicae forma aliis praestitisse, vero videtur simillimum. Modo enim municipia, modo colonias praefecturarum nomine appellari, reperimus. Sic *Arpinum* et *Puteoli* secundum FESTUM [2]) praefecturae, a CICERONE [3]) municipia appellantur. Eadem est causa cur, quum in legis MAMILIAE capite tertio legatur: IN · EA · COLONIA · MVNICIPIO · PRAEFECTVRA · FORO · CONCILIABVLO · in quinto ejusdem legis capite ordo ita sit mutatus: FINES · EIVS · COLONIAE · MVNICIPII · FORI · CONCILIABVLI · PRAEFECTVRAE. Quin etiam ipsis coloniis haud raro anteponuntur praefecturae, ut in CICERONE [4]). Deinde hoc quoque tam abjectae, contemtaeque praefecturarum conditioni repugnat, quod historia docet, viros e praefectura oriundos, summis Romae functos esse honoribus [5]).

Fora denique et *conciliabula*, quibus praefecturae in nostra lege constanter praeferuntur, licet plerumque, ut exiguae conditionis, reipublicae genere praedita fuerint minus perfecto atque libero

---

2) voce: *praefectura;* in singulis nominandis.

3) Ad fam. XIII, 2. pr. COELIO c. 2. Sic porro in leg. de Gall. Cis. Col. I. v. 6. DVVMVIR · QVATVORVIR · PRAEFECTVSVE · EIVS · MVNICIPII. cf. SAVIGNY l. l. p. 40.

4) In Pis. c. 22. *nulla fuit regio, nullum municipium, neque praefectura, aut colonia.*

5) Exemplo est CICERO Arpinas.

(a Festo enim fora definiuntur: "*ubi jus dicebatur*"; conciliabula: "*ubi nundinae habebantur*") tamen utraque haud raro ad municipiorum formam redacta esse, satis constat [6]). Atque haec fora conciliabulaque in municipii jus relata plerumque intelligenda esse, ubi municipiis, coloniis, praefecturis juncta, pari jure uti dicuntur, ut credam legis Mamiliae caput quartum et quintum facit. Postquam enim in reliquis capitibus, semper de municipiis, coloniis, praefecturis, foris et conciliabulis actum est, sanctioni additur: SI · QVIS · ADVERSVS · EA · QVID · FECERIT · — HS · IIII. COLONIS · MVNICIPIBVSVE · EIS ·, IN · QVORVM · AGRO · caet. Ubi coloni et municipes foris quoque et conciliabulis respondent. Quamquam ne in nostra quidem tabula, omnia municipiorum jura ad fora etiam et conciliabula pertinere videntur. Fortasse lege Julia, aliave post eam lata omnium simul fororum et conciliabulorum respublica ita mutata est, ut in plerisque municipiorum jura adaequaret.

Quod autem hac tota in lege municipia coloniis semper anteponuntur, in lege Mamilia hae illis, hujus rei causam Gellius [7]) indicare videtur: *Romae coloniarum conditio, quum sit magis obnoxia et minus libera, potior tamen et praestabi-*

---

6) Frontinus de limit. agr. p. 41. "*hoc conciliabulum fuisse fertur et postea in municipii jus relatum.*" Eodem Aggeni ad Frontini locum verba spectant: "*sunt autem loca publica, uti coloniarum, ubi prius fuere conciliabula; et postea sunt in municipii jus relata.*" cf. Maz. p. 397 sqq.

7) l. l.

lior existimatur, propter amplitudinem cujus istae coloniae quasi effigies parvae simulacraque quaedam esse videntur." Jam lex MAMILIA Romae sculpta erat, nostra autem, ut videtur [8]), in municipio, cujus cives colonis aliquanto sese putavere majores. Cf. MAZ. p. 592. Leg. de Gall. Cis. Col. II. v. 2. PAULI S. R. IV, 6. §. 2.

---

v. 83 et 84. IIVIR · IIIIVIR · caet.

Duo praesertim ex his verbis maximi momenti perspiciuntur, primum non modo municipia et colonias, quod jam satis erat notum, sed etiam praefecturas, suis suffragiis magistratus, praeter praefectos, creasse [9]). Quod sine dubio vel ante legem JULIAM licuerat. Nec tamen ideo, quod nulla hic *praefectorum* fit mentio, eos ab hoc decuriones legendi, recitandique munere fuisse exclusos, contenderim. Quamquam enim ipsorum munus ita describitur a FESTO: *"qui jus dicerent"*, tamen haec in municipiis quoque coloniisque summorum magistratuum appellandorum insignis erat formula; ut in lege MAMILIA: MAGISTRATVS · I · D · i. e. *juri dicundo.* Id tantum pro certo affirmari potest, verbis: *duumvirum, quatuorvirum, neve quem alium magistratum* caet. (v. 91.) praefe-

---

8) Heracleae sculptam esse tabulam et propter inventionis locum et ideo quoque credendum est, quod graeca inscriptio in adversa parte, omnibus fere mendis caret, quibus latina scatet.

9) De more hoc postea mutato vid. not. ad v. 156.

ctum non contineri; nam v. 98. *comitia iisdem magistratibus rogandis* commemorantur.

Deinde ex nostro loco id, quod interdum dubitatum est, foris quoque et conciliabulis eosdem fere magistratus, qui in municipiis inveniuntur, fuisse apparet. Quamquam hujus rei documentum jam satis clarum legis MAMILIAE capiti tertio inest: QVI · IN · EA · COLONIA · — FORO · CONCILIABVLO · IVRE · DICVNDO · PRAEERIT · caet.

Recte v. 83 et 84. additur: *aliove quo nomine.* Nam licet duumvirorum appellationem illis magistratibus fuisse usitatissimam, variis testimoniis comprobetur [1]), tamen praeter duumvirorum nomen, multa alia etiam occurrunt. Itaque modo *magistratus jure dicundo* [2]), modo *aediles* [3]), *Dictatores* [4]), *praetores* [5]), quinetiam *consules* [6]) appellantur; Caesarum aetate, *magistratus*, nulla alia voce addita, vocari solitos esse exempla non de-

---

1) Cic. in Rullum II. c. 34. Fr. 1. pr. D. 50, 3.

2) Leg. Mam. c. 3. Doni Inscr. class. 5. n. 42. 83. 84. 228.

3) Cic. fam. XIII, 11.

4) ut Lanuvii. Cic. pr. Milone c. 10.

5) Cic. in Rull. II. c. 34. Hor. Sat. I. 5. v. 34.

6) In antiquis inscriptt. cf. Otto diss. de consulibus qui extra Romam, c. 1. Quod tamen non tam ipsis permissum nomen videtur, quam a municipibus colonisque sibi sumtum et arrogatum. Cic. in Rullum. l. l. ubi ejusmodi *superbiam* vehementer perstringit.

sunt [7]). Sed quaecunque horum magistratuum fuerit appellatio, non mediocri reipublicae temporibus ipsos fuisse potestate, tum ex nostra lege, tum aliunde constat. Eodem prorsus modo de iis, quo Romae de summis magistratibus dicebatur: "*qui magistratum potestatemve habebit*" [8]); jurisdictioni praeerant, eique non tam angustis circumscriptae limitibus, quibus sub Imperatoribus postea apparet [9]); consulum enim simul et praetorum officiis fungebantur. Imperium iis concessum [1]) tribunalque [2]), quod postea ademtum est [3]), lictoribus utebantur, olim bacillis tantummodo [4]), postea fasci-

---

7) Fr. 4. §. 3 et 4. D. XXXIX, 2. fr. 6. §. 16. fr. 15. §. 9. D. XXVII, 1. c. 16. C. theod. XII, 1.

8) Fr. 1. §. 1. D. II, 2. collat. cum tab. v. 84. 132. 145. Leg. de Gall. Cis. Col. 1. v. 50 et 51.

9) Savigny l. l. p. 30—39.

1) Leg. de Gall. Cis. Col. 1. v. 50. PRO · QVO · IMPERIO · POTESTATEVE · EST.

2) Sueton. de claris rhet. c. 6. "*C. Albutius Silus Novariensis, quum aedilitate in patria fungeretur, quum forte jus diceret, ab iis contra quos pronuntiabat, pedibus e tribunali detractus est.*" Nisi forte hoc loco *tribunal*, ut in nostrae legis vel v. 34. (vid. not. ad h. v.) pro quocunque editiori loco. Contra jus tribunalis in municipiis et coloniis disputant Ger. Noodt de jurisdict. I. c. 3. Otto de aed. col. et mun. c. 12. §. 2.

3) Fr. 32. D. XLVII, 10. fr. 26. pr. D. L. 1.

4) Cic. in Rull. II. c. 34.

bus [5]), comitia habebant [6]), senatum convocabant [7]), in decuriones legebant, sublegebant eosque recitandos curabant [8]). De censu vid. not. ad v. 142 sqq.

---

v. 86. SENATVM·DECVRIONES·CONSCRIPTOSVE· caet.

Mazochio [9]) id agenti, ut senatum ad municipia, decuriones ad colonias, conscriptos ad praefecturas, ex appellationum usu et consuetudine, referendos esse, singulis exemplis studiose demonstrare conetur, quum in ipsa nostra tabula has distinctiones neglectas videam, non assentior. In ea enim legis parte quae est de censu in municipiis, coloniis, praefecturis agendo, non modo omissis senatoribus, decurionum tantum conscriptorumve fit mentio, sed etiam ita, ut *municipia* in antecedentibus sola commemorata inveniantur. v. 148. "*in tabulas publicas sui municipii referunda curato, eosque libros per legatos, quos major pars decurionum, conscriptorum ad eam rem*" caet. Unde, et in municipiis, pro *senatoribus* decuriones conscriptosque appellatos esse, apparet. Nihil itaque aliud esse videtur, quam verborum appellationum-

---

5) c. 55. C. X, 51.

6) v. 98.

7) v. 128. c. 2. C. X, 51.

8) v. 86. 106. nisi hoc forte officium ad censores s. quinquennales pertinebat. vid. infra.

9) p. 404. not. 51.

que similium talis cumulatio [1]), qualis in antiquis legibus toties invenitur, hic autem eo minus redundans, quod, ne quid forte nominum appellationumque captionibus in fraudem legis fiat, haud obscure cavetur. Eodemque verba: *legito*, *neve sublegito*, *neve cooptato*, *neve recitandos curato*, pertinere videntur.

Decuriones ex albo recitari solebant; tit. D. albo scrib.

---

v. 87 et 88.

Certum decurionum numerum et constitum [2]) augere nullo modo novis legendis sublegendisve licebat; id tantum licebat, in demortui [3]), damnative, ejusve qui confessus erat, se senatorem ibi esse non licere, locum alium cooptare, ne justus numerus minueretur. *Damnatus* quis sit intelligendus, postea v. 110 sqq. satis clare indicatur, v. c. *qui furti condemnatus est* caet. MAZOCHIUS [4]) damnatum eum interpretatur, qui maximam me-

---

1) Praeter has appellationes, aliae etiam postea in usu erant ut: *curiales* c. 2. C. theod. XII, 1. *municipes* J. GOTHOFR. Parat. ad C. theod. XII, 1.

2) Plerumque, ut videtur, centum decuriones erant, ut CIC. Rull. II. c. 35. Inscr. ap. FABRETTUM p. 107, nr. 324. v. 13. INTER · CENTVMVIROS.

3) Vox hoc loco solennis videtur. CIC. Verr. act. II. lib. 2. c. 50.

4) p. 408.

diamve capitis deminutionem passus sit. Idem quae de eo, qui se senatorem esse non licere, confessus erit, sequuntur, explicaturus, senatores non nisi praevia magistratus interrogatione, an sese ipsos tales putarent, quibus in senatu esse liceret, in album relatos esse suspicatur; eamque interrogationem aetatem praecipue, de qua in sequentibus lineis agitur, spectasse, ne quis forte triginta annis minor legeretur. Verum hic, quum non de ratione dicatur, qua novi decuriones in album essent referendi, sed veterum decurionum nomina, quibus modis albo exemta aliis viam ad curiam aperire possent: haec MAZOCHII interpretatio minus loco convenire videtur. Nec enim praevia demum magistratus interrogatione in album referradus, *decurio* dici poterat. Qua re ad censum potius, cujus in decurionibus legendis habitam esse rationem satis constat [5]), haec verba equidem pertinere puto. Itaque, re familiari, quod facile accedere poterat, casu valde diminuta, decurionem sive censori sive alii magistratui, sibi propter *tenuem censum* in senatu esse non licere, nomenque albo esse eximendum, confiteri oportebat.

---

v. 89 et 90. MVNICIPIO · — COLONIA · PRAEFECTVRA.

Hoc loco id maxime erit perpendendum, qui fiat, ut fororum et conciliabulorum mentionem in

---

5) Cic. Verr. act. II. lib. 2. c. 49. *de quaestu, quem qui fecisset, ne legeretur, de censu, de ceteris rebus.*

nostra lege modo factam videamus, modo omissam. Quod quo minus negligentiae cuidam tribuamus, eo impedimur, quia non forte et mixtim, sed secundum ordinem quemdam certum, et quasi secundum legis capita, hoc factum animadvertimus. Ac in primo quidem capite (liceat enim varias legis parte ita nominare,) ubi de senatoribus sublegendis agitur v. 85-88, fora et conciliabula commemorantur; in secundo capite de aetate magistratui gerendo idonea, de quaestu; caet. v. 89-107, eorum vestigia non occurrunt, redeunt tamen in tertio capite; v. 108-141, de his, quibus propter infamiam in senatu esse non liceat. Frustra denique in ultimo capite de censu agendo haec nomina quaeruntur. Unde hoc ordinis magis esse, rationisque constantis, quam casus vel negligentiae, satis apparet. Mazochius praeter brevem ad caput de censu adnotationem, totam hanc quaestionem intactam reliquit.

Hoc autem loco, quo primum fora atque conciliabula desideramus, etsi ejus rei ratio causaque nulla sit inpromtu, tamen non liquere malui confiteri, quam prorsus negligere. Senatum enim et magistratus in foris quoque conciliabulisque fuisse, ex antecedentibus perspicitur; nec hoc conjicere licet, comitia in mun. col. praef. tantum habita esse, quum non modo comitiis creari vetentur, sed etiam creati magistratum gerere, decurionesque in senatu esse prohibeantur. Ac licuisse in foris conciliabulisque minoribus XXX annis magistratum gerere, iisque qui turpem quaestum facerent, in senatu esse, quis credat?

v. 89. MINOR · ANNOS XXX · NATVS.

Ejusmodi legum annalium multa et Romae et in aliis civitatibus exempla reperiuntur [6]). Qua in re id tantum mirandum est, cur, quum in similibus legibus senatorius annus et adjungatur [7]) et idem esse soleat [8]), in nostro aere decurionum, quotannos natis in senatu esse licuerit, nulla ratio habita esse videatur. Verum enimvero hanc verborum constructionem paullo implicatiorem dumne nimis accurata diligentia, ad vivum, quod dicunt, resecemus, id quod de magistratibus capiendis dictum est, ad decuriones etiam referre licebit. Omissis enim illis exceptionibus, verba ita se habent: *ne quis minor XXX annis magistratum petito, neve quis qui praeconium* caet. *faciet, magistratum petito, neve* (et minor et praeco) *ibi senator, neve decurio neve conscriptus esto.* Quae de magistratibus adjicitur exceptio propter militiam vel vacationem, hanc in decurionibus repetere prorsus non opus erat; ex sequentibus enim, qui magistratum gessissent, gererentve, eos eo ipso in decurionum ordinem pervenisse, perspicitur [9]).

Ipsius denique legis ordo eandem sententiam suadere videtur. Nam postquam, quando et in

6) Liv. XL. c. 43. Plin. X. ep. 83. "*lege Pompeia cautum, ne quis capiat magistratum, neve sit in senatu minor annorum XXX.*"

7) Plin. l. l.

8) Cic. Verr. act. II. lib. 2. c. 49.

9) v. 137.

quorum locum decuriones legendi sint, dictum est, eorum enumeratio sequitur, quibus propter minorem aetatem, quaestum et infamiam in senatu esse non liceat. Qui ordo maxime naturalis, nisi sanctionem de aetate ad decuriones quoque referendam censeamus, prorsus turbatur.

MAZOCHIO [1]) longe alia est mens. Licuisse per hanc legem minoribus XXX annis in decurionibus esse. Post enim bellum sociale, flore nobilitatis cladibus exhausto, claris et idoneis senatoribus curiam nullo modo suppleri potuisse, nisi junioribus etiam senatorii generis in ordinem allectis. Ac primo hac de re nusquam reperimus vestigia. Deinde quid est causae, cur exceptio tam generalis tamque abnormis in nostra lege ne attingatur quidem? Et erat locus aptissimus. Hac enim lege, quum antiqua multa repetantur, (nam infamet quin vel ante hanc tabulam in senatu esse prohibiti fuerint, quis dubitet?) tam nova silentio praetermissa esse, vix credi potest.

---

v. 90. NEVE · CAPITO · NEVE · GERITO.

Ad eos haec pertinere videntur, quibus *non petentibus* magistratus deferebantur; quod in municipiis coloniisque interdum factum esse, CICERO testatur [2]). Verendum enim erat, ne hac verborum captione fraus legi fieret.

---

1) p. 412.

2) pr. COELIO. c. 2.

v. 90 - 94.

MAZOCHIUS [3]) castrensem militiam militiae in provincia eo modo opponi censet, quo castra aperto Marti vel expeditioni, i. e. MAZOCHIO interprete, ubi belligerendi causa exercitus educitur. Quod enim expeditio *provincendi* i. e. longius prorogandi imperii causa fiat, eo eleganter pro expeditione provinciam dici. Sed similem locum frustra quaeras. Stipendia in provincia ea dicuntur, quae quis in exercitu proconsulis vel propraetoris, in provinciam missi facit, nec tam militiae in castris i. e. verae expeditioni opponuntur, quam hac quidem aetatis ratione aequiparantur. Utrumque autem militiae genus, ei, quae Romae vel in municipiis, urbis custodiendae causa fiebat, opponi videtur. Hi enim milites urbani s. vigiles [4]) neque iisdem, quibus reliqui milites, honoribus, neque iisdem stipendiorum praemiis fruebantur [5]). Singulis autem annis singula stipendia militibus procedebant. Sed postea, militia perpetua sub CAESARE facta, haec ratio immutata est. cf. BACH hist. jur. II. c. 1. §. 54.

v. 95. EXVE · FOEDERE.

Foederibus ante legem JULIAM municipiorum libertatem atque jura constitui servarique solita

3) p. 415.

4) ULPIAN. frr. tit. III. §. 5. fr. 15. §. 3. D. XLVIII, 5.

5) Fr. 8. §. 4. D. XXVII, 1.

esse, quum sit clarum [6]), alia hoc loco quaestio interpretem offendit, qui fiat ut foedera post legem JULIAM adhuc commemorentur. Nam populos, qui fundi facti essent, veterem foederis libertatem amisisse CICERONIS testimonio comprobatur [7]). MAZOCH. non continuo iis commodis spoliata fuisse existimat. In nonnullis municipiis, favore quodam, antiqua foedera servata videntur.

---

v. 94. DISSIGNATIONEM.

Dissignatorum varia erant genera; nam alii funebri pompae praeerant, (libitinarii) alii loca publica in spectaculis curabant, alii viros honoratos per turbam deducebant, alii denique certaminibus et ludis, ut arbitri, praeerant. Totus autem praeconum et libitinariorum et dissignatorum quaestus sordidus habebatur atque contemtus [8]): Atque hi non qui fecissent talem quaestum, sed qui facerent, a curia magistratibusque arcentur [9]).

---

6) CIC. pr. ARCH. c. 4. CORN. c. 22.

7) CIC. pr. BALBO. c. 8. "*cum magna pars in iis civitatibus foederis sui libertatem civitati anteferret.*"

8) A VAL. MAXIMO V. c. 2. §. 10. libitinarii *sordes* vocantur. CIC. ad Attic. IV, 5. DONATUS ad TERENT. Adelph. I, 2, 7. MAZ. p. 416—419.

9) CIC. Epp. ad fam. VI, 18. "*rescripsit (BALBUS) eos qui facerent praeconium, vetari esse in decurionibus, qui fecis-*

v. 96. NEVE · SENTENTIAM · DICITO.

Ii, *quibus sententiam dicere licet*, saepe ab ipsis decurionibus separantur. FESTUS voce *senator* ita disputat: "*et nunc, quum senatores adesse jubentur* „(edicto additur:) *quibusque in senatu sententiam dice-* „*re licet; quia ii, qui post lustrum conditum ex junio-* „*ribus magistratum ceperunt, et in senatu sententiam* „*dicunt, et non vocantur senatores, antequam in* „*senioribus sunt censi.*" LIV. XXXVI. c. 3. GELLIUS N. A. III, 18. MAZ. p. 419. not. 65.

v. 98. POST · K · QVICT · PRIM ·

v. 89. legitur: *post K. Jan. secundas.* Comitia igitur secundum hanc legem post Kalendas Quinctiles haberi solita esse videntur, nostra tabula inter Kal. Quict. et Januar. perscripta. Quocirca, ne respublica magistratibus destituta forte turbaretur, ut superioris anni comitiis creati, licet forsan contra hujus tabulae sanctiones creati essent, adirent, necesse erat. In novis contra comitiis post Kal. Quict. primas habendis, omnia, quae nova hac lege praecipiebantur, observari oportebat. cf. MAZ. p. 421.

sent non vetari." Hoc loco praecones soli nominantur, forsan quia hi reliquos simul etiam turpes quaestus facere solebant. GRUT. p. 625. PRAECO · IDEM · DISSIGNATOR In CICERONE Verr. II, 2. c. 49. et ii qui *fecissent* ejusmodi quaestum, arcentur "*de quaestu quem qui fecisset, ne legeretur.*" PLIN. Epp. I. ep. 19.

Comitiorum itaque aliud olim tempus fuisse videtur, quam id quod postea invenimus. Novi enim decuriones et magistratus Kal. Martiis eligebantur [1]). Tribus autem ante mensibus, quam magistratum inirent, nominandi erant [2]).

Reliqua hujus loci verba (v. 98-107) prorsus fere eadem sunt, quae v. 89-97; praeterquam quod hic ad ipsos magistratus referuntur, quae illic Decurionum ordinis, tantum magistratuumque candidatos coercebant. Eodem fere modo v. 46-50. ea quae jam praecesserant, adjecta tantum heredis mentione, repetuntur. Sic saepe in antiquis legibus. Quo autem seriores leges sunt, eo et breviores esse solent, et concinniores.

---

v. 108.

Hujus loci eo gravius est argumentum, quod earum rerum, quibus infamia homines notentur, enumerationem continet, qua antiquiorem non habemus. Quamquam enim vel in CICERONIS quibusdam locis [3]), singularum infamiae causarum interdum fit mentio, tamen totum hoc caput tam accurate nusquam pertractatur. Nam deinceps eorum numerum recensitum videmus, quibus ob infamiam in senatu esse non liceat, et sicut antea magistratibus eos legentibus, (v. 107) ita hac san-

---

1) c. 28. Cod. theod. XII, 1.

2) c. 1. Cod. I, 56. c. 28. Cod. theod. XII, 1.

3) v. c. Nat. Deor. III. c. 30. pr. Rosc. C. c. 6.

ctione ipsis, qui adversus ea in decurionibus fuerint, eadem poena irrogatur. (v. 124 et 125.). Atque toto hoc loco homines ut *infames* a decurionum ordine arceri et removeri [4]), etiamsi infamiae ipsius nulla fiat mentio, tamen tum ex tit. Dig. *de his qui not.* caet. tum inde quoque apparet, quia hi, quibus propter quaestum sordidum in ordine esse, item hac lege vetitum est, ut praecones, libitinarii et dissignatores illis non adnumerantur. (v. 94 et 104.)

Sed nunc tabula cum praetoris edicto, quale in Digestis nobis exhibetur, accuratius erit conferenda. Aliae enim infamiae causae quum praetoris edicto continentur, quas frustra in nostra lege quaeras, aliae in hac lege, de quibus in edicto nihil monetur; deinde quum earum, quae utroque loco afferuntur, ordo atque series tantopere differat, hujuscemodi discrepantiae causam indagare ut difficile, ita tamen operae pretium esse videtur.

Ac primo quidem vel nostrae tabulae enumerationem, e praetorum edictis haustam esse, unde demtis additisve nonnullis in edictum perpetuum paullatim transiit, ideo putaverim, quod hujus legis aetate, causas, quibus infamia irro-

4) Fr. 5. et 6. §. 3. fr. 12. D. L, 2. c. 8. C. X, 51. Verum, ne decurionum munus valde grave atque miserum, tot hominibus, quos subire oportebat, privaretur, eorum, qui infamiae causa arcerentur a curia, numerus non mediocriter paullatim minutus est.

gabatur, haud facile aliunde quam ex praetorum edictis, quorum haec pars haud dubie jam tralatitia erat, colligere licebat.

Deinde, nonnullae infamiae causae cur in nostra tabula prorsus praetermittantur, etsi facili negotio intelligitur, (quod in eas causas cadit, quae ad mulieres tantummodo, quarum in decurionibus legendis nulla ratio habetur, pertinent [5])) tamen in aliis [6]), alia opus est interpretatione. Aut igitur nostrae legis aetate nondum omnes, quae postea infamia notabant, in jure constitutae erant causae, aut Romae judicium his de rebus severius quam in municipiis fuisse videtur. De iis autem causis, quas praeter edicto comprehensas, in tabula invenimus, singulis suo loco expedietur. Jam id, quod supra dictum est, ex edicto praetorum tralatitio recensum hunc profectum esse videri, hoc totius etiam ordine et serie non mediocriter comprobatur. Licet enim singulae quasi partes, quibus ejusdem generis similesque causae continentur, non eodem loco collocatae sint, quo in edicto; tamen eaedem fere partes, easdemque causas complexae, reperiuntur; fr. 1. edict. — *lenocinium fecerit.* collat. cum tab. v. 120. *quoive ap. exere.* — v. 124. Edict.: *qui in jud. publ.* — *judicatus erit.* coll. cum tab. v. 117. *queive jud.* — v. 120. Edict.: *qui furti* — *damnatus erit.* collat. cum tab. v. 110. *quei furtei* — v. 113.

---

5) Fr. 13. §. 3. fr. 15. D. h. t.

6) Edicti verba: *qui eam* — fin.

v. 110. QVEI · FVRTEI · QVOD · IPSE · FECIT · FECERIT · CONDEMNATVS · PACTVSVE · EST · ERIT ·

In edicto sic habet: *qui furti suo nomine damnatus pactusve erit.* Quod autem legis verbis: *furtei* caet. non, ut in edicto, additur: *vi bonorum raptorum;* hoc quale sit, facile intelligitur. Generali enim furti significatione olim etiam bona vi rapta comprehendi solita esse, non ignotum est [7]). Itaque *actio, quae appellatur vi bonorum raptorum, quam propriam ejus delicti nomine praetor introduxit*, serioris temporis esse videtur.

Ex dupliei autem sensu, qui edicti verbis: "*suo nomine*" inest, ut excipiantur tum ii, qui non ipsi furtum commiserunt, sed alieno nomine condemnati sunt [8]), tum ii, qui, etsi ipsi commiserint, tamen per procuratorem judicium acceperunt [9]), prior ille tantummodo in aere indicatur: *quod ipse fecerit.* Unde seriori demum tempore, leniendae interdum infamiae causa, interpretatione haec exceptio inducta esse videtur, quia additur [1]): "*licet enim verbis edicti non habeantur infames ita condemnati, tamen re ipsa et opinione hominum non effugiunt infamiae notam.*" Nec tamen, quod in tabula verba: "*ipse fecit, fecerit*" nec non: "*pactusve est, erit*" ad furtum modo referri videntur,

7) pr. I. IV, 2.

8) Fr. 6. §. 2. D. h. t.

9) Fr. 2. pr. D. XXXVII, 15.

1) Fr. 2. cit.

quum in edicto ad reliqua etiam delictorum genera, ut injuriarum, de dolo malo et fraude haud obscure referantur: ideo diversam diversis temporibus juris rationem fuisse dixerim; sed potius haec verba semel addere, in reliquo delictorum numero computando, iisdem suppletis, satis visum est. De eo qui pactus est de delicto cf. fr. 6. §. 5. D. h. t. fr. 5. D. eod. §. 2. I. IV, 16. Quod in contractus, quorum actiones famosae dicuntur, non cadit. fr. 7. D. h. t.

---

v. 111. QVEIVE · IVDICIO · FIDVCIO · PRO · SOCIO · TVTELAE · MANDATEI · caet.

Quatuor hi sunt contractus, quos tamquam sanctos, modo cum aliis contractibus conjunctos, modo solos, non solum apud ICtos, sed etiam apud reliquos scriptores saepe reperimus [2]). De fiducia nihil in praetoris edicto; cujus tamen locum depositum tenet, vox minus generalis, nec tam late patens. Fiduciam enim BOETHIUS [3]) ita interpretatur: "*fiducia contrahitur, cum res alicui ea lege mancipatur, ut eam mancipanti remancipet.*" Quae fiducia etsi in multis aliis contractibus locum habere poterat, tamen in antiqua pignoris forma et deposito maxime adhibebatur; idque exemplum, quod definitioni addidit BOETHIUS:

---

2) CIC. Off. III. c. 17. Nat. D. III, 30. pr. CAEC. c. 3. Rosc. Com. c. 6.

3) Ad CIC. top. c. 10.

"ut, si quis tempus dubium timens, amico potentiori fundum mancipet, ut ei, quum tempus quod suspectum est, praeterierit, reddat"; haud obscure depositum describit. Ac in pignore quidem, mutata ipsius forma atque natura, fiduciae usus prius desiisse videtur; eodemque modo pro altero fiduciae genere *depositi* significatio paullatim invaluit. Formulae enim, quae non solum in fiducia, sed etiam in reliquis, de quibus hic agitur, *privatis judiciis summae existimationis*, vigebant, ut: EX FIDE BONA [4]), vel: VT INTER BONOS BENE AGIER OPORTET [5]), paullatim evanuerunt.

---

v. 111. INIVRIARVM · DEVE · D · M ·

Ex toto hoc loco, quemadmodum disjecta olim minusque accurata dicti tralatitii compositio, paullatim in meliorem concinnioremque edicti perpetui ordinem transierit, apparet. Ut enim in nostrae adhuc tabulae recensu, non modo privata delicta, aliis multis interpositis, a publicis, sed etiam ipsa privata infamiae judicia, contractibus illis interjectis separantur, ita in edicto, quale in Digestis habemus, judicia publica deinceps privata sequuntur.

---

4) Cic. Off. III, c. 17.

5) Cic. Ep. ad fam. VII, ep. 12.

v. 112. QVEIVE · LEGE · PLAETORIA · caet.

Magna quum esset doctorum varietas, atque controversia, aliis legem LAETORIAM, aliis PLECTORIAM, aliis denique PLAETORIAM scribentibus, ex nostro aere PLAETORIAE appellationem esse veram, clare perspicitur. Quinetiam ERNESTI [6]) nonnulla CICERONIS MSta pro LAETORIA habere PLETORIA testatur. Nec tamen haec lex cum alia ejusdem nominis, a. u. 587 lata, de jure et officio praetoris urbani, miscenda erit [7]). Legis PLAETORIAE de circumscriptionibus adolescentum actatem accurate constituere, propter monumentorum penuriam, non licet. Id tantum certum est, ante PLAUTUM [8]) eam viguisse. Deinde, quum non minus de ratione, qua circumscriptiones haec lex coercere conata sit, ambigeretur, hoc jam dubium esse non potest, quin infamia eos notaverit, quicunque sanctionem neglexissent. Quod quamquam non claris verbis indicatur, tamen CICERONIS [9]) verbis tacite iuesse videtur: *judicium publicum rei privatae lege LAETORIA (PLAETORIA)*. Publicorum autem judiciorum condemnationem infamiam sequi, ex aeris v. 117-119. perspicitur. In quo tamen mirum videatur, cur haec infamiae causa, a reliquis judiciis publicis secreta, inter media privata judicia locum invenerit. Ac nisi hoc quoque mi-

6) Clav. Cic. ind. legg. v. LAETORIA.

7) CENSORINUS c. 24.

8) Pseudol. I. 3, 69. Rud. V. 3, 24.

9) Nat. D. III, 30.

nus accurato tabulae nostrae ordini tribuere malimus, id doli mali genus statim adjungenti; causa in eo forsan est, quod *judicium* quidem dicitur *publicum* sed *rei privatae*. Itaque in eodem CICERONIS loco hoc judicium non cum aliis publicis, sed cum iisdem fere privatis, quibus cum in nostro aere, conjungitur. Quam infamiae poenam significasse videtur PLAUTUS [1]): *metuunt credere omnes.* De reliquo legis PLAETORIAE argumento cf. SUETON. Lib. IV. Rhet. (ap. PRISCIAN. lib. VIII. p. 794. edit. PUTSCH). CAPITOLINUS in MARC. c. 10. c. 2. C. theod. donat.

Additur: OB · EAMVE · REM · QVOD · ADVERSVS · EAM · LEGEM · FECIT · FECERIT. Quod non perinde esse dixerim, ac si legeretur: *queive lege PLAETORIA ob eam rem caet.*; nam etiam si similis verborum constructio in legibus maxime antiquioribus interdum occurrat, tamen priora illa: *queive lege PLAET.* ad ipsam legis causam, posteriora: *ob eamve* caet. ad eas machinationes, quibus, poenae infamiaeque evitandae causa, in fraudem legis PLAETORIAE agere solebant, referre malim. Cujus legis in edicto praetoris nullum invenitur vestigium. Ac latere ipsam sub generali doli mali fraudisque causa, dicere liceret; sed idcirco potius mihi non commemorata videtur, quod post constitutionem MARCI AURELII [2]) lex PLAETORIA non potuit non paullatim

---

1) Pseud. l. c.

2) CAPITOL. l. c. „*De curatoribus vero, quum ante non*

abire in desuetudinem. Qua re ab iis, qui nobis edictum in Digestis exhibuere, recte legis PLAETORIAE causa omissa est.

---

v. 112. QVEIVE · DEPVGNANDEI · CAVSA· caet.

Hactenus ea infamiae genera recensebantur, quae condemnationem requirebant, hac praetoris formula: "*si condemnatus fuerit,*" Sequuntur, in quibus simpliciter praetor ait: *si fecerit, infamis esto.* Quamquam hic ordo non constanter servatur. v. 118.

Edicti verba haec sunt: *qui artis ludicrae pronuntiandive causa in scenam prodierit;* quorum ea tantum pars, quae de his, *qui*, ut in lege PAPIA POPPAEA legitur [3]), *operas suas, ut cum bestiis pugnarent, locaverint*, agit, huc pertinet; artem enim ludicram facientes infra v. 123. commemorantur. Totum autem hoc ad eos restringendum esse videtur, qui *pretio ac mercede*, nec *virtutis ostendendae causa* facerent [4]). Summa in his verbis diligentia cautum videmus, ne quid forte le-

---

nisi ex lege PLAETORIA, vel propter lasciviam, vel propter dementiam darentur, ita statuit, ut omnes adulti curatores acciperent, non redditis causis." Generaliori enim hac constitutione, legis PLAET. singularis continebatur, et quasi absorbebatur sanctio.

3) Fr. 37. pr. D. XXXVIII, 1.

4) Fr. 1. §. 6. D. h. t.

gis sanctioni deesse videretur, neve quid in fraudem fieri posset: "*auctoratus est, erit.*" Quid? si quis ad tempus auctoratus, postea exauctoratus fuerit? ne tunc quidem infamiae nota liberabitur; recte igitur additum legimus: *fuit, fuerit.* vid. not. ad v. 94.

---

v. 113. QVEIVE · IN · IVRE · ABIVRAVERIT ·

SERVIO [5]) interprete, *abjurare est rem creditam negare perjurio.* PLAUT. Pers. IV, 5. v. 7. Rudens. Prol. v. 13. Totum hoc genus, in edicto non commemoratum, generali doli mali fraudisque, interdum depositi causa comprehenditur. Fraudem enim, dolumque malum huic generi inesse, ex iis quae in cit. PLAUT. Rud. loco praecedunt, facile colligitur: *qui falsas lites falsis testimoniis petunt.* et paullo post: *Litem adipisci postulant perjurio. Res falsas qui impetrant apud judicem.*

Ibid. BONAMVE · COPIAM · IVRAVIT · caet.

Locum sane difficilem MAZOCHIUS [6]) ita interpretatur, ut *bonam copiam jurare* per euphemismum, quo ἀσχήμοσι dictionibus dedita opera parceretur, dictum esse putet pro *bonis cedere.* Sed

---

5) Ad VIRG. Aen. VIII. v. 363.

6) p. 431—433.

primum, quid sibi velit in lege tam accurata, in qua praesertim vel turpiora enumerentur, euphemismus non video. Tum ne id quidem, quod significari vult, bonis cedere ullo modo ex his verbis extundi poterit. Denique, quum cessio bonorum v. 114 et 115. claris verbis indicetur, prior illa paraphrasis prorsus redundaret. Ac *bonam copiam jurare* nihil aliud esse nisi: *jurare se adhuc creditoribus satisfacere posse*, non est obscurum, quia in CICERONE [7]) *bonam copiam alicui ejurare* haud dubie dictum invenitur pro: *jurare, aliquem creditoribus suis amplius satisfacere non posse.* Aut igitur supplendum est: *dolo malo*, hoc fere sensu: qui dolo malo, creditoribus, se adhuc solvendo esse juravit, ut bonis interim dilapidandis damnum ipsis faceret; aut cum sequentibus haec verba forsan conjungenda sunt: si is, qui bonam copiam juravit, (postea), se solidum solvere non posse, renunciaverit. Sive autem ultima v. 113 verba cum v. 114 jungamus, sive, quod constructioni magis convenire videtur, utrumque separatim interpretemur, MAZOCHIO verbis: "*aut cum eis pactus est*, *erit* caet." singularem debitoris versutiam collusionemque cum creditoribus, in fraudem sponsorum, inesse suspicanti verbaque: *pro* (omissa vocula: *ve*) *quo datum*, *depensum est*, *erit*, huc referenti, assentire non possum. *Pacisci* enim is olim dicebatur, qui ex lege XII tabularum, judicio nexus, ne creditoribus secandus tradere-

7) Epp. ad fam. IX. ep. 16. *tu autem, quod mihi bonam copiam ejures, nihil est.*

tur aut venderetur, id maxime agere solebat, ut quocunque modo cum creditoribus compararet (pacisceretur) i. e. ipsis satisfaceret. Quae dicendi ratio postea in bonorum sectionibus obtinuisse videtur.

v. 115. PROVE · QVO · DATVM · DEPENSVM · EST · ERIT · QVOIVSQVE · BONA · caet.

Haec ita conjungenda esse puto, ut verba: *prove — erit* ad eum referantur, qui, praesertim ob publica debita, (cf. not. ad v. 38-45.) assignatus, adtributusque, justo tempore solvere neglexerit; cujus bona Romae praetoris in municipiis colon. caet. ejus, qui i. d. praeerat, edicto possidebantur atque proscribebantur. Similium bonorum possessionum exempla fr. 2. pr. fr. 7. §. 1. D. LXII, 4. De laesa autem existimatione ejus, cujus bona sub praeconis voce fuerunt, locus clarissimus est CICERONIS pro QUINCT. c. 15. "*cujus bona ex edicto* „*possidentur, hujus omnis fama et existimatio cum* „*bonis simul possidetur.*" Eadem autem in nostra tabula adjicitur exceptio, quae praetoris etiam edicto continetur. fr. 6. §. 1. D. eod. De proscriptionis forma, quam JUSTINIANUS [8]) ut sublatam et antiquatam praetermisit, nos docet THEOPHILUS [9]).

8) pr. I. III, 13.

9) Paraphr. ad c. l. Inst.

v. 117 – 120.

De infamia ex publicis judiciis cf. fr. 7. D. XLVIII, 1. Semper fere additur: *neque in integrum restitutus est*, ut fr. 3. §. 5. D. XXII, 5. Verba: *quocirca eum in Italia esse non liceat*, ad ea judicia suppliciaque referenda sunt, *quae ad existimationem tantum, non ad capitis periculum pertinent* [1]). De reliquis enim prorsus non opus erat dicere.

Quod autem iis, qui in municipio col. caet. judicio publico condemnati sunt, non ut supra Romae condemnatis, adjectam videmus exceptionem restitutionis in integrum, exinde non temere jam tunc magistratibus municipalibus in integrum restituere non licuisse [2]), conjici potest.

---

v. 120. QVEMVE · K · PRAEVARICATIONIS · CAVSSA · · caet.

In edicto hoc et quod antecessit ita se habet: *qui in judicio publico, calumniae, praevaricationisve causa, quid fecisse judicatus erit*. fr. 1. §. 6. D. III, 1. fr. 4. fr. 6. D. XLVII, 15. fr. 1. §. 1, 3, 6. D. XLVIII, 16. Cic. part. c. 36.

---

1) Fr. 28. §. 1. D. XLVIII, 19.

2) De posterioribus temporibus res propter fr. 26. §. 1. D. L, 1. satis clara est.

v. 120—122.

In edicto: "*qui ab exercitu ignominiae causa, ab imperatore eove, cui de ea re statuendi potestas, fuerit, dimissus erit*" quibus verbis et ordo centurionibus majoribusve praefectis ademtus, et ignominiosa gregarii militis missio continetur. fr. 2. pr. D. h. t. fr. 2. pr. — §. 5. D. eod. Ut in nostro aere, in TACITO [3]) etiam ordo ademtus et ignominiosa missio secernuntur. Exempla cum formulis missionis vid. ap. HIRT. vel OPPIUM. bell. afric. c. 54.

---

v. 122. QVEIVE · OB · CAPVT · C · R · REFERVNDVM · caet.

Vir Cl. HUGO [4]) ad proscriptiones, inde a SULLA ortas, hoc pertinere suspicatur. Verum, quum nostra tabula proximis post annum 663 vel 664 temporibus tribuenda esse videatur, (cf. Caput de aetate legis) SYLLAE autem de proscriptionibus leges, ut annorum 672 et 673, aetate sint seriores, forsan ad Italici belli s. socialis caedes, inde a GRACCHI temporibus, haec verba, MAZOCHIO [5]) assentiente referenda existimarem, nisi alia me ratio commoveret. Haud enim scio an pro: *referundum*, levissima mutatione legentes: *deferundum* [6]),

---

3) Hist. I. c. 52.

4) Gesch. d. R. Rs. p. 517. not. 1.

5) p. 442.

6) Litterae D et R saepius in nostro aere confunduntur ut v. 148. ARIEIS · pro: AB · IEIS.

sensum extundamus huic loco magis convenientem. *Deferre caput civis*, est idem quod *civem capitis reum facere.* Ac qui caput civis Romani, pecunia accepta aliove praemio, detulerint, eos infames fuisse, satis constat [7]). Ne hoc quidem, post finitum bellum Italicum, poenas ejusmodi sancitas esse, facile crediderim. Paullatim enim hoc bellum concedendo finire, ejusque quasi vestigia oblivione exstinguere, Romani haud obscure studebant. Quinetiam pecunia aliove praemio tam diligenter commemorato, nostra sententia adjuvari videtur. Quum enim in civium Romanorum capitibus *referundis* nihil interesset, utrum praemio accepto hoc factum esset, an ira vel invidia: de *delationibus* hoc nominatim cautum legimus [8]), ob eas tantummodo infamiam irrogari, quae praemii causa susceptae essent.

---

v. 125. QVEIVE · LENOCINIVM · FACIET.

Quo diligentior in praecedentibus infamiae caussis recensendis, ne quis captioni daretur locus, temporum ratio habita est [9]), eo magis in ultimis his verbis, sola simplicis futuri forma nos offendit. Nam in lenones non idem cadere, quod supra de praeconibus, libitinariis dissignatoribusque dictum est, quos non *si fecissent* talem quaestum,

---

7) Fr. 2. D. XLIX, 14. c. 3 et 4. C. X, 11. c. 9. C. II, 12. fr. 8. fin. D. XLVIII, 2.

8) Fr. 2. D. XLIX, 14.

9) Ut: *est*, *erit*, *fuit*, *fuerit*. v. 113. *fecit*, *fecerit* caet.

sed *si facerent* a decurionibus arceri vidimus, edicti verbis edocemur his: *qui lenocinium fecerit*. cf. fr. 4. §. 2 et 3. D. h. t. Qua re negligentiae cuidam hoc tribuendum videtur.

---

v. 129 - 134.

In superiori legis parte, quibus in senatu esse non liceat, enumeratis, additaque et in creantem et in creatum poena, duplex sequitur cautio: ne quis, qui decuriones habebit, talem in senatum ire sententiamve dicere jubeat, tum ne quis, qui maximam potestatem habebit; cum in senatu esse, sententiam dicere caet. sinat. In quo duo expedienda erunt: primum quis sit is, qui decuriones habere, i. e. convocare dicitur. Atque hoc jus fuisse et officium duumvirorum, quatuorvirorum, non est obscurum [1]. Verum, quum paullo post ei, qui maximam potestatem habebit, injungatur, nequem horum, quibus in senatu esse non liceat, in senatum ire, in eo numero esse, sententiam dicere sinat; non possum quin alium credam, de quo scribitur: *ne — jubeto*, alium, de quo: *ne — sinito*. Duumviri enim atque quatuorviri etsi saepius tum in hac tabula [2]), tum in aliis antiquis legibus ita describuntur: ***qui potestatem magistratumve habent,***

---

1) c. 2. C. X, 31. *observare oportebit magistratus* (cf. not. ad v. 83.) *ut decurionibus solemniter in curiam convocatis* caet.

2) v. c. v. 84.

tamen duobus tantum nostrae legis locis additur: *maximam potestatem* vel *maximum magistratum;* hic et v. 145, ubi de censu agitur. Haud temere igitur, maximae potestatis maximive magistratus significatione censoriam quinquennalemve dignitatem denotari, conjicere videamur; qualem in municipiis, coloniis caet. fuisse, exemplis permultis docemur [3]). Qui censores s. quinquennales, quoniam et in constitutionibus ante Duumviros nominantur [4]), et ii tantummodo ad hanc dignitatem pervenerunt, qui reliquis omnibus magistratibus jam perfuncti erant [5]); recte ipsorum magistratus *summus* dici poterat. Atque censores s. quinquennales hos in nostra lege non commemorari, eo magis videatur mirum, quod totum caput insequens est de censu in municipiis agendo, cf. v. 142–158. Quocirca eum, qui et *maximum magistratum maximamque potestatem* habere dicitur, et censui agendo praeesse, quinquennalem interpretari non dubito. Ejusdem autem quinquennalis fuisse, in municipiis caet. tum curare, nequis contra legem albumque in senatum irreperet, sententiamque diceret, tum si quis forte irrepserit, eum

3) Grut. Inscr. p. 366. Liv. XXIX, 15. Roth. l. l. p. 98–100.

4) c. 5. C. theod. IX, 2. Grut. p. 380. CENS · ET · DVOMVIRATV · BENE · ET · E · REPVBLICA · ACTO.

5) c. 20. C. theod. XII, 1. fr. 11. pr. fr. 14. §. 5. D. L, 4. Roth p. 89. Ipsi censores duumviri vocantur, addita tantum quinquennalitia dignitate; vid. not. sequentem.

repellere, non modo ex Romani censoris analogia, sed etiam ex albo curiae Canusinae [6]) perspicitur.

v. 135 - 141.

Cavetur ne quis, cui in senatu esse non licet, duumviratum aliamve quam potestatem, ex quo honore in decurionum ordinem perveniat, capiat, itaque lex eludatur. Unde duo haud parvi momenti discrimina, alterum antiqui juris curiarum et recentioris, Romani senatus alterum curiaeque municipalis, apparent. Quum enim is, qui non sit decurio, magistratum capere prohibeatur, ne eo ipso in curiam irrepat, non ex decurionibus tantum, sed etiam ex aliis municipibus magistratus creatos esse, manifestum est. Quod postea ita immutatum est, ut nemini magistratum capere liceret, nisi qui jam decurio esset [7]). Nec mirum. Quemadmodum enim nostrae tabulae aetate, decurionum munus non mediocribus commodis affluens, per se jam satis videbatur, expetendum; (quod ex tot in hac lege, nequis forte ir-

6) Ap. Fabrettum Inscr. p. 598. M · ANTONIVS · PRISCVS · L · ANNIVS · SECVNDVS · DVVMVIRI · QVINQVENN · NOMINA · DECVRIONVM · IN · AERE · INCIDENDA · CVRAVERVNT.

7) Fr. 7. §. 2. D. L, 2. "*is, qui non sit decurio, duumviratu vel aliis honoribus fungi non potest, quia decurionum honoribus plebeji* (i. e. qui non sunt decuriones) *fungi prohibentur.*"

repat, cautionibus facile negotio intelligitur;) ita decurionum conditio paullatim tam misera [8]) inventa est, atque abjecta, ut et inviti ad decurionum munus subeundum cogerentur, et tot onerum quodammodo sarciendorum causa, honores magistratusque decurionum proprii haberentur.

Deinde ex v. 137 hoc quoque apparet, in municipiis, colon. caet. duumviratu aliisve honoribus functos, eo ipso in decurionum numero fuisse. Quod idem lege POMPEJA, Bithynis data, comprehenditur [9]). Romae secus habebat. Nec enim magistratibus perfuncti, sed per censores allecti, senatores putabantur [1]).

Verum ne ii, qui a curia arcentur, omnino ullo decurionum fruantur commodo, id quoque sancitum legimus: *ne in loco senatorio, ludis sedeant, neve cum decurionibus convivia publica ineant;* qui honor, si a decurionibus discesseris, singulis tantum concedi solebat. Nam ut Romae senatoribus ordinique equestri peculiaris, ludorum spectandorum causa, assignatus erat locus, ita decurionibus etiam in municipiis; qua de re antiqua extat in-

---

8) JAC. GOTHOFR. Paratitl. ad C. theod. XII, 1. ROTH l. l. p. 25—56.

9) PLIN. X. ep. 83. "*Eadem lege (POMPEJA) comprehensum est, ut qui ceperint magistratum, in senatu sint.*"

1) VAL. MAXIM. Lib. II. c. 2. §. 1. "*ignarus, nondum a censoribus in ordinem allectum, quo uno modo etiam his, qui jam honores gesserant, aditus in curiam dabatur.*"

scriptio, apud FABRETTUM [2]), v. 10. — LICEATQVE · EI · OMNIBVS · SPECTACVLIS · (v. 11.) MVNICIPIO · NOSTRO · BISELLIO · PROPRIO · INTER · AVGVS · (12.) TALES · CONSIDERE · CENISQVE · OMNIBVS · PVBLICIS · (13.) INTER · CENTVMVIROS · (i. e. decuriones) INTERESSE.

De conviviis publicis, quae tum festis diebus deorum causa [3]), tum post ludos iniri solebant, cf. REINESIUS comm. ad marm. Suelitan. Cl. 1. nr. 29. p. 156. MAZOCH. ad h. l.

v. 140 et 141.

Actio haec popularis, etsi proxime contra eos data videtur, qui contra legem in senatorio loco sederint, magistratumve ceperint, tamen sicut eandem poenam in eos, qui in senatu fuerint, inque eos, qui eos legerint, constitutam reperimus v. 97 et 107. ita hanc quoque ad eos, qui v. 126 - 134. comprehensi sunt, referre non dubitaverim.

v. 142 - 158.

In toto hoc capite, quod in describenda census municipum, colonorum caet. agendi ratione

2) p. 170. nr. 324.

3) LIV. XLV, 39. *illas quidem epulas senatus, quae nec privato loco, nec publico profano, sed in Capitolio eduntur — turbaturi estis?*

versatur, fora et conciliabula praetermissa videmus. Cujus rei veram eruere causam, quum supra in illo capite de comitiis habendis v. 89-107. difficillimum esset, tum hic etiam vestigia tantum levia conjecturis persequi licebit. Res enim valde obscura est, et propter monumentorum in tanta antiquitate penuriam, implicata.

MAZOCHIUS [4]) paucissimis verbis totum absolvens, quod in foris et conciliabulis viri ad tantam rem idonei defuerint, viris navis ab urbe (Roma?) missis, fora et conciliabula, censendi causa, circumeundi munus commissum fuisse, existimat. Quam tamen affert causam, quis probet? In foris enim et conciliabulis, quae duumviros aliosque magistratus, suis ipsorum suffragiis creatos habuisse, ex hac tabula apparet, viros sollertes, et ad censum agendum idoneos defuisse, vix credi potest. Quocirca eam, quam MAZOCHIUS leviter tantum et quasi obiter perstringit, minorem fororum et conciliabulorum dignitatem, hoc loco urgendam esse censeo. Nam ante legem JULIAM, quum alia in municipiis, coloniis et praefecturis censendi vigeret ratio, alia in foris et conciliabulis, ut postea idem obtineret, facile fieri potuit. In illis enim a juratis ipsarum civitatum censoribus, ex formula a Romanis censoribus data, census ita agebatur, ut libri censuales Romam deferrentur [5]). Quod in foris et conciliabulis ali-

---

4) p. 454. ad v. 144.

5) LIV. XXIX. c. 15.

ter habebat. Nec enim suis utebantur censoribus, sed senatus Romanus viros creari jussit, qui in foris et conciliabulis censum agerent [6]). Eandem autem nostrae tabulae aetate adhuc viguisse rationem, eo magis, ut credam, adducor, quod v. 145. diligenter et expresse scriptum est: *omnium municipium, colonorum suorum, queique ejus praefecturae erunt, q. C. R. erunt, censum agunto;* qua re ne ei quidem conjecturae, a proximorum municipiorum censoribus, fora simul et conciliabula censeri solita esse, locus esse potest.

Censores eos videri, qui *maximum* magistratum, *maximamque* potestatem habere dicuntur, jam supra [7]) monui. Qui enim magistratus et ante hanc tabulam in usu erat, et postea ubique reperitur, (modo sub nomine *censorum*, modo *quinquennalium*, modo *curatorum* occurrunt,) eum hic non commemorari, mirum foret.

Ipsa censendi ratio ab ea, quae a SIGONIO [8]) describitur, paullum differt. "In municipio enim „ita censos esse municipes docet, ut, si eis commodum esset, Romae etiam in tribubus, quas ab „initio obtinuissent, censeri possent; idque ad „speciem dumtaxat et juris usurpationem interdum

6) Liv. XXV. c. 5. "*senatus — triumviros binos creari jussit, alteros, qui citra, alteros, qui ultra quinquagesimum lapidem in pagis forisque et in conciliabulis, omnem copiam ingenuorum inspicerent.*"

7) ad v. 129.

8) De antiq. jure Ital. Lib. II. c. 8.

„fecisse; ut post bellum Italicum, civitate nuper „accepta, in censura GELLII et LENTULI; quo „anno cujuscunque modi multitudinem ASCONIUS „narrat, ex municipiis convenisse, aut propter co- „mitia, suffragiorum causa, aut ut censerentur „apud censores." Atque hanc municipiorum licentiam, nostra lex restringere videtur: quod vel maxime ex ea, quae v. 157 et 158 adjecta est, exceptione, apparet. Causa in promtu est. Nam tot municipibus Romam censendi causa migrantibus, censum et Romae molestiorem redditum esse, et in municipiis, cum censores quot municipum jam Romae censi essent, nescirent, difficiliorem, facile intelligitur et ASCONII testimonio comprobatur. De loco autem, ubi quemque censeri oporteret, saepe dubitatum videmus [9]).

In nostra lege haec praescribitur ratio. Magistratum, sive censorem, sive alio nomine appellare malimus, tum cum censor Romae populi censum aget, eadem ratione [1]), municipes suos, colonos, eosque qui ejus praefecturae erunt, censere librosque censuales [2]), per legatos ex curia censori Ro-

---

9) LIV. XXXVIII. c. 28. *Campani, ubi censerentur, senatum consuluerunt. Decretum uti Romae censerentur.* XLII. c. 10.

1) Verba: *eorumque nomina — rationem pecuniae.* v. 146 et 147. non obscure FLORI I. 5. verbis: *"ut omnia patrimonii, dignitatis aetatis, artium, officiorumque discrimina in tabulas deferrentur"* respondent.

2) A CICERONE Cluent. c. 14. *tabulae publicae censoriae* appellantur.

mano justo tempore tradendos curare oportet [3]); ab hoc in tabulas publicas Romanas referuntur.

---

v. 149. MAIOR . PARS · DECVRIONVM.

"*Quod major pars curiae effecit, pro eo habetur, ac si omnes egerint*" fr. 19. D. 50, 1.

---

v. 156. EODEM · LOCO · VBEI caet.

In atrio Libertatis, quod in Aventino erat, tabulas censorias poni solitas esse, multis explicatur a Mazoch. p. 463. not. 139.

---

v. 159 - 163.

Mazochii [4]) haec est sententia, ut in iis legibus, in quas fundos fieri oporteret, licuisse municipibus nonnulla addere, mutare, vel corrigere dicat, ne legibus ipsorum municipiorum forte nimis repugnarent; illudque corrigendi negotium, municipum cuidam, utpote suarum legum gnaro, datum videri. Verum enimvero municipium Fun-

---

3) Liv. XXIX. c. 15. simillimis verbis rem ita exponit: *censumque in iis coloniis agi, ex formula ab romanis censoribus data. Dari aut emplacere eandem, quam populo Romano; deferrique Romam ab juratis censoribus coloniarum, priusquam magistratu abirent.*"

4) p. 477.

danum non id esse, cujus populus factus sit fundus, jam in capite de legis aetate, causa et argumento, satis a me disputatum est; ita ut haec quoque ultimorum versuum interpretatio, prioris sequela, necessario una concidat.

Ab omnibus enim Italiae municipiis, coloniis et praefecturis, foris et conciliabulis, ad singulum quoddam in Latio municipium Fundanum s. *Fundorum* [5]) legis verba se convertunt. Quam opinionem, duobus potissimum argumentis MAZOCH. refellere conatur. Ac primo quidem ipsum inventae hujus laminae locum non mediocriter ideo censet repugnare, quod Heracleenses, apud quos, ut inventa est, ita etiam sculpta haec tabula videtur [6]), cum Fundanis Latii nullo, neque juris, neque alio arctiori vinculo conjunctos, vix credi possit, in suas legum laminas, sanctiones ad Fundos tantummodo pertinentes, transscripsisse. In quo id maxime tenendum est, hanc legem non Heracleae soli, sed potius omnibus in Italia municipiis, coloniis caet. datam esse [7]). Legem autem totam, etiamsi pars tantum ipsum municipium spectaret, sibi vindicare et sculpendam curare, fas habitum esse, ex iis, quae de ipsa urbe Roma occurrunt, non minore diligentia transscriptis, perspicitur.

Alterum argumentum, quo MAZOCHIUS fretus, nostram sententiam prorsus ut vanam refellere

---

5) Cf. cap. de legis aet. caet.

6) Cf. comm. ad v. 83.

7) v. 142 et saepius.

studet, ex FESTI [8]) loco depromtum, non majorem fidem habere videtur. Quum enim a FESTO inter praefecturas *Fundi* numerentur, in tabula autem de *municipio* fundano agatur, inde quoque errorem apparere existimat. Sed quid est quod nos, quo minus vel ante hanc legem municipii jura Fundo recuperasse, vel post eam demum amisisse, credamus, nos impediat? Anno u. c. 564 adhuc fuisse municipium, testis est LIVIUS [9]). Quid? Arpinum, quod oppidum a FESTO eodem loco inter praefecturas nominatur, quoties a CICERONE municipium vocatum?

Atque haec de Fundanis. Quis autem sit, cui permissum lege plebisvescito esse dicitur, municipibus fundanis leges dare; utrum rogantibus illis, ut interdum factum, an invitis missus sit, quasque et cujusmodi leges dare permissum sit, hoc, omni Fundorum accuratiori historia prorsus destituti, ne conjectura quidem assequemur probabiliori.

---

8) voc. *praefectura.*

9) XXXVIII, 36. *De formianis fundanisque municipibus caet.*